RESPONSIONES BARTHOLOMÆI VGOLINI I. V. D.

AD TRES IVRISCONSVL. ex Primarijs Gymn. Patauini Iureprofessorib.

Asserentes, infrascripta Ducis, ac Senatus Veneti, decreta, iusta atq; valida esse, scilicet

I. De non alienandis bonis immobilibus in personas Ecclesiasticas.

II. De non erigendis de nouo Monasterijs, Cœtibus, & Reductibus Virorum, & Mulierum; & de non ædificandis de nouo Ecclesijs, absq; licentia eiusdem Principis.

III. De iudicandis, & puniendis Clericis pro criminibus grauibus, & atrocibus.



BONONIAE,

Apud Ioannem Baptistam Bellagambam. 1607.

Sumptibus Simonis Parlaschæ.

Superiorum permissu.

Imprimatur
Vicarius Inquisit. Bonon.
Angelus Michael Bocchius Auditor.

fo.	lin.	*Errata*	*Corrigito*
5	30	c.decret.	c.decet
17	10	inquis.	iniquis
22	36	ſequerentur	ſequuntur
25	5	(inſtituta ſunt) (tāquā à ſuperiori)	parenteſis collocetur ibi
29	5	dicit	dicitur
30	4	eorundem	eundem
32	vlt.	acippiens	accipiens
33	16	ibi	tibi
34	11	reditus	redditus
34	21	non autem dixit,	non autem ea dixit
35	3	aſſeruis	aſſeruit
35	28	vindicat	vendicat
37	3	eouſq; diſpoſitio	adde pertinere debet
38	9	faciant	faciat
38	vlt.	co eſſe	hoc eſſe
39	15	violetur	violatur
49	17	tenentur	teneatur
49	33	ſummere	ſumere
61	4	priuilegia concesſa	priuilegium conceſſum
61	19	lauretanea	lauretana
79	12	proditiones publicarum	proditiones rerum publicarum
81	9	in cap.	in d.cap.

PAVLO QVINTO PONTIFICI MAXIMO,

Bartholomæus Vgolinus S. P. D.

SATIS mirari non possum (Beatissime Pater) quòd & tres Iurisconsulti Gymnasij Patauini Apostolicæ sedis auctoritati detrahere, libertatem ecclesiasticam imminuere, atq; in censuras tuas, in Ducem, ac Senatores, statumq; Reipubl. Venetorum latas, temerè insurgere non dubitarint. Quapropter quæ mea est erga sanctitatem tuam, atq; Apostolicam sedem reuerentia, quin horum fallacias, & à veritate, fideliumq; pietate alienas opiniones his meis vtcunq; scriptis detegerem, diu me continere non potui. Hos igitur labores meos, (Beatissime Pater) quàmprimùm aduersa valetudine ereptus edere potui, nomini

tuo,

tuo, sicut & primos, & secundos de hac eadem re nuper à me proditos, dicandos curaui, sanctitatem tuam subnixè deprecans, vt eos, qua soles, animi tui benignitate suscipere non graueris; etsi enim leue munus hoc est, graue tamen apud bonos erit meæ singularis erga te obseruantiæ argumentum. Vale, & Deus pacis conterat Satanam velociter sub pedibus tuis; teque incolumen (vt opus habet Ecclesia) diutissimè seruet, ac protegat.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA

PRAEMIS. I.

CAP. II.

S V M M A.

1 Rationes, propter quas Venetorum Respub. Pontificis Max. præceptis obtemperare debuisset.

2 Quæ præmittenda pro faciliori tractationis huius cognitione.

NVNQVAM sanè putassem (quod dolenter refero) Venetorum Rempublicam tâm obduratis animis Pauli V. Pontif. Max. paternis monitis, salutaribusque præceptis obtemperare noluisse. Ea n. Respublica (si maiorum memoriam re-
1 petamus) † & religionem catholicam perpetuò coluit, & pro Apostolica Sede difficillima bella frequenter suscepit, & iustitiæ, eximiæquè prudētiæ gloriosum nomen mari, terraquè vsquequaquè retinuit. Is verò Pontifex, præter eam, quam à Christo Domino per Petrū, suosq; successores, potestatem obtinuit, ea semper extitit à teneris annis vitæ integritate, pietateq; præditus, vt nulla esset causa, cur de propensione ipsius erga se dubitare debuisset. Quòd si filiorum suorum salutis cupidissimus (pij patris more laudabili) monitis primùm, tùm ecclesiastico (vt debebat) interdicto, ipsos ab errore multiplici (in quem, pacis æmulo, satore zizaniæ procurante, incide- 2
rant) omni sollicitudine reuocare non destitit, gratiæ ei potius habendæ, quam odium concipiendum fuerat.

Non despero tamen, tot bonorum omnium, ac præcipuè ipsius Pont. Max. ad Deum assiduas preces irritas non futuras; sed, cum Respublica illa procerum suorum pietatem, religionemq; in memoriam reuocauerit (ingenti fidelium omnium gaudio) forè, vt breui pastorem suum agnoscens, suisq; sanctissimis præceptis annuens, resipiscat. Interim tamen (Diuina fauente gratia) respondendum mihi esse arbitror allegationibus quorundam Iur. Consult. Collegij Patauini, qui nonnullis fucatis, fallacibusq; argumentis, à veritate Christiana omnino alienis, decreta eiusdem Reipublicæ (quorum occasione perturbatio omnis exorta est) ausi sunt tutari, atq; defendere.

2 Verùm; † quòd cognitio rei huius, ac solutio rationũ, pendet inprimis à cognitione libertatis Eccl. idcircò, ne ignoratis principijs, ignorentur ea, quæ sequuntur l. 1. & ibi Bald. ff. de orig. iur. præmittenda breuiter quinque mihi proposui. Primùm libertas Eccl. quid sit, & quotuplex. Secundò quo iure sit inuenta. Tertiò an tolli, impediriuè possit à Principe laico. Quartò Decreta prædicta an contra libertatem Eccl. sint. Postremò rationes quasdam, quibus decreta ipsa iniusta, atq; nulla esse probantur, adducam. Iam igitur rem aggrediamur.

S V M M A.

1 Libertas Eccl. quid sit.
2 Libertas Eccl. quotuplex sit.

§. I.

§. QVAESTIO igitur explicanda nobis primò proposita hæc est, Quid sit Ecclesiastica libertas. Deinde quotuplex.

1 Quo ad primum igitur † libertas Eccl. est libertas emanans à potestate diuinitus, & supernaturaliter Ecclesiæ tradita, qua Ecclesia libera est à potestate laica in omnibus

bus ad Diuinum cultum, & salutem animarum mediatè, vel immediatè pertinentibus. arg. c. 1. & c. 2. de immun. Eccl. lib. 6.

Dixi Libertas, pro genere; non solùm enim de libertate Eccl. dicitur, verùm etiam de alia libertate, vt de ea, quam habent ingenui, necnon serui manumissi. §. & libertas. in Instit. De iur. pers. iunct. tit. de ingen. & tit. de libertin. eod. Quamobrem, ex quo de pluribus differentibus specie dicitur; meritò genus nominatur.

Dixi Reliqua, pro differẽtijs, quibus separatur ab alijs libertatibus, & à proximè dicta; quandoquidem nequè supernaturaliter data est, vt in Instit. de iur. pers. nequè ipsa à potestate laica liberum quem reddit, nec cultum diuinum, animarumq; salutem pro obiecto habet, vt per se patet: sed contractus, iudicia, & vltimas voluntates, vt in Instit. in tit. De rer. diuis. cum multis seq. Eisdemq; rationibus ab alijs libertatibus separatur.

2 Quo ad secundum † tres species libertatis Eccl. sunt. Vna, quæ dicitur Immunitas. Altera, quæ dicitur Exemptio. Tertia, quæ nominatur Libertas Eccl. in specie. Quod autem hæ species sint inter se diuersæ, hinc probatur, Primò per Extrauag. incip. Inter cunctas, vers. Ecclesiarum immunitatis, & libertatis Eccl. violatores de priuil. & per c. 1. de immunit. lib. 6. ibi, Immunitatem, & libertatem Eccl. lædere, & apud Trid. Synod. sess. 25. de reform. cap. 20. vers. Sed seuerè; nam, ex quò interponitur copula, Et, inter Immunitatem, & Libertatem Eccl. diuersa esse inter se, significatur; copula .n. Et, ponitur inter diuersa, vt ait Gloss. in Rubr. ff. de iur. & fact. ignor. & Ias. in l. de quibus nu. 3. ff. de leg. Quod etiam ab Exemptione diuersæ sint, hinc patet, quod de ipsa fori exemptione parùm agitur in tit. De immunit. Eccles. Sed præcipuè in tit. de iud. & in tit. De for. compet. & tamen hæc libertas Eccl. dicitur, vt habetur apud Trid. Synod. eod. Præterea, ipsarum diuersitas hinc probatur,

quòd Immunitas ab oneribus laicorũ cùm res, tùm personas, ac bona Eccl. liberat, vt videbimus. Exemptio autem à foro seculari cùm personas, tùm causas Eccl. Libertas Ecclesiastica in specie facit, ne impediatur Ecclesia, quominus possit facere omnia, quæ pertinent ad Diuinũ cultum, ac salutem animarum c. 1. & c. fin. de immunit. Eccl. lib. 6. iunct. cit. c. 20. Trid. Synod. Differunt igitur inter se propriè, quamuis vniuersæ sub nomine Immunitatis, & sæpius sub nomine libertatis Eccles. nominentur, vt habetur apud Trid. Synod. eod. cap. 20. vers. Nec permissurum. Ego autem, quò commodius, ac facilius cognosceretur, tres species constitui. arg. §. alio quoq; modo. vers. Sed quia sanè, in Instit. quib. mod. test. infirm. Libertas igitur in genere tres has species complectitur. Absurdum autem nõ est, libertatem Eccl. & in genere, & in specie dari; nam & Adoptio genus datur, quæ habet sub se, & adoptionem in specie, & Arrogationem, vt habetur in l. 1. & 2. ff. de adopt. & in Instit. §. 1. eod. Non igitur alienum est à ratione, dari libertatem Eccl. in genere, & in specie. Sed iam de singulis agamus, id quod in seq. præstabimus.

S V M M A.

1 *Immunitas Eccl. quid sit.*
2 *Vnde dicta.*
3 *In quibus versetur.*
4 *Diuino cultui, animarumquè saluti prodest hac immunitas.*

II.

§. PRIMA species igitur libertatis Eccl. est ea, quæ dicitur Immunitas. de qua tria videbimus. Primum quid sit. Deinde vnde dicta. Tertiò, in quibus versetur.

1 Quoad primum ergo † Immunitas est libertas Eccles. qua personæ, res, & loca Eccl. ab oneribus laicorum liberæ sunt. Quæ descriptio declarabitur ex ijs, quæ infra dicemus.

2 Quoad secundũ † Immunitas dicta est ab In, quod negat, & Munus, idest Onus, quasi sine munere, idest sine onere; nam Munus præter alia significat Onus, vt dicitur in l. Munus 1. & 2. ff. de verb. sign. Quod onus cum remittitur, vacationem prçstari dicitur, & Immunitas appellatur, scilicet, vt dixi, sine munere, idest, onere cit. l. munus 1. & ibi not. Alciat. & habetur in tot. tit. ff. de muner.

3 Quoad tertium † Immunitas hęc primò liberat personas, res, ac loca Eccl. ab oneribus, quæ à laicis imponuntur; non .n. personæ Eccl. ad tutelas, ac curas suscipiendas coguntur, l. generaliter, C. de epis. & cler. & c. generaliter 16. q. 1. Non reprçsaliæ contra ipsas fiunt, c. vnic. de iniur. lib. 6. Non ad pedagia, guidagiaq; soluenda tenentur, c. quanquam, de censib. lib. 6. & facit c. 1. de immunit. Eccl. eod. lib. 6. Non deniq; ad collectas, & talias, aliaq; onera imposita super personis à laicis, obligantur, vt cit. c. 1.

Liberat secundò bona Eccl. ne vlla onera ipsis, eorũq; fructibus imponantur à laicis, c. non minus. de immunit. Eccl. in antiq. & c. 1. & c. clericis, eod. lib. 6. & Clem. fin. de censibus. cum simil.

Tertiò, liberat loca Eccl. Primũ, ne in Ecclesijs, cœmiterijsq; causæ criminales, ciuilesq; à Iudicibus secul. agantur, c. cum Ecclesia Dei, de immun. Eccl. in antiq. & c. decret. eod. lib. 6. Secundò, ne laici eò conuenientes, de rebus suis ibi agant, contractus ineant, nundinæ, ac mercatus fiant, per cit. iura. Tertiò, ne in Ecclesiarum domibus seculares iudices hospitium sibi vendicent, cit. c. 1. eod. Quartò, ne ad Ecclesias confugientes inde extrahantur, sine licentia Eccl. personarum, promissione

data de non inferenda lęſione corporis in eos, qui ad eas confugerunt, quibuſdam caſibus exceptis, c. definiuit, & c. ſeq. 17. q. 4. & c. eos, qui diſt. 87. & c. inter alia, de immunit. Eccl. & c. Eccleſiæ, & c. fin. eod.

Hæc igitur prima Eccl. libertatis ſpecies eſt, quæ Immunitas dicitur; quādoquidem perſonæ, res, & loca Eccl. à prædictis, & alijs huiuſmodi oneribus immunia, ac libera ſunt, quæ Immunitas Diuino cultui expedit. Nam, quòd perſonæ ab oneribus perſonalibus liberæ ſunt, nec pro repræſalijs capi queunt, frequentius, ac liberius diuinis officijs operam dare, ac Deo inſeruire poſſunt; ſi .n. pupillorum, ſeu minorum tutelas, curasq; agerent, neceſſe haberent ab Eccleſijs ſæpiùs diſcedere, ſecularibus negotijs ſe immiſcere, in iudicijs ſecul. verſari, quæ omnia à diuinis officijs auocant, & à perſonis eccl. alieniſſima ſunt. Hinc, ne eccl. perſonæ ſecularibus negotijs ſe immiſceant, cautum eſt. tot. tit. ne cler. vel monac. ſecul. neg. Hinc ratiocinijs, & alijs publicis muneribus laicorum obligati, ad ordines non admittuntur, ante depoſitum onus, & redditam rationem, c. vnic. de oblig. ad ratiocin. &, vt ego in Tract. meo, de Irregul. pluribus id probaui, cap. 58.

Quòd etiam bona Eccleſ. eorumq; fructus, immunes ſunt à vectigalibus, atq; alijs oneribus; hinc Eccl. perſonæ habent, vnde Eccleſias, atq; templa ſarcta, tectaq; facilius habeant; & quæ ad diuina faciēda pertinent, commodius parent; ac deniq; frequentiores miniſtri adſint,
4 qui diuina officia promptius obeant. † Quibus immunitatibus Diuinus cultus conſeruatur, augetur, auguſtiusq; tractatur; quæ non contingerent, ſi oneribus impoſitis à laicis facultates minuerentur, quandoquidem laici (Dæmone id operante) ſacrificium ſe Deo offerre exiſtimant, vbi Eccleſijs, Eccleſiaſticiſuè perſonis onera imponunt, arg. c. non minus, de immunit. Eccleſ. in antiq. & c. 1. eod. lib. 6.

Quòd

Quòd deniq; templa, ac loca pia immunitates prędictas habent; maiori itidem pietate, ac dignitate diuina officia fiunt; si .n. in Ecclesijs secularia iudicia, si cōtractus, si nundinæ, ac mercatus exercerentur, non facile, neq; qua decet, pietate, ministri sua munera obirent; sed contra potius, loca sacra periurijs, tumultibus, conuicijs, ac cædib. aliquando violarentur. Hinc Trid. Synod. sess. 22. in Decreto De obseruan. & euitan. in celebr. miss. ab Ecclesijs seculares omnes actiones vana, atq; adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores vt arceantur, mandauit. Idem Pius V. in Bulla incip. Cum primum Apostolatus, quę est in ordine 5. iussit, & pœnis propositis, nè prædicta fiant, & antea Greg. X. in cap. 2. de imm. Eccl. lib. 6. Sed ad alteram speciem transeamus.

S V M M A.

1 Exemptio Eccl. quid sit.
2 Exemptio Eccl. in quibus versetur.
3 Diuino cultui, ac saluti animarum hæc exemptio consulit.

III.

§. SECVNDA species libertatis Eccl. est exemptio, de qua tria videbimus. Primùm quid sit. Deinde, in quibus versetur. Tertiò quomodo diuino cultui consulat.

1 Quo ad primum igitur † Exemptio Eccl. est libertas Eccl. qua personæ, atque causæ Eccl. à foro seculari liberæ sunt. Dixi libertas Eccl. pro genere. Dixi reliqua, pro differētijs, quibus separatur à specie proximè dicta; quandoquidem ipsa liberat ab oneribus impositis à laicis, & loca, & res, ac personas Ecclesiasticas; hæc autem à foro laicorum personas, ac causas ecclesiasticas, vt de personis habetur in cap. at si clerici, & in cap. clerici, & in cap. cùm non ab homine, & in cap. qualiter, & quando, de

do, de iud. & in cap. 1. & 2. & in cap. ſi quis contra clericum, & in cap. ſi diligenti, de foro compet. & in cap. ſi iudex laicus, de ſent. excom. lib. 6. cum ſimil. (Eccleſiaſticæ perſonæ verò quęnam ſint, habetur in cap. duo ſunt genera 12. q. 1.) De cauſis verò Eccleſiaſticis dicitur in cap. decernimus, & cap. ſequenti, de iud.

Hæ autem cauſę triplicis generis ſunt. Primi generis, quę pertinent ad fidem. Secundi generis ea, quæ pertinent ad Sacramenta, & ad poteſtatem ordinis.

Tertij generis, quæ ad iuriſdictionem Eccl. cùm fori interioris, tùm exterioris; vt probaui in Tract. meo De poteſtate Epiſcop. propędiem in lucem edendo. Differt etiam à tertia ſpecie; nam hęc, vt vidimus, ſolum eximit à foro ſeculari; illa verò facultatem tribuit liberè faciendi reliqua omnia, quæ pertinent ad diuinum cultum, & ſalutem animarum, & coercendi eos, qui libertatis eccl. ſpecies omnes impediunt, vt videbimus. Ex his ſecun-
2 dum † habetur, ſcilicet, in quibus caſibus Exemptio hęc verſetur. Nec facit, ſi dicatur, ab Imperatoribus exemptionem hanc conceſſam eſſe; nam leges ipſorum impedimenta potius ſuſtulerunt, quibus exemptio hæc impediebatur, quandoquidem iam ante Imperatores priuilegiū hoc obtinebat Eccleſia, vt dicit Bald. in Auth. ſtatuimus, C. de ſacroſ. eccl. Id quod & infra videbimus. Nō repugnat etiā, quòd Eccleſia ad ſeculares iudices, ac Principes aliquando confugit. Nam, vbi Eccleſia iniuria afficitur, & ſe tueri ipſa per ſe non poteſt, ad Principes ſeculares confugere poteſt, & eorum auxiliū petere, quod dicitur brachium ſeculare, ita habetur in cap. ſi in adiutoriū d. 10. & cap. 1. & ibi D D. de off. ordin. & in cap. dilecto, de ſent. excom. lib. 6. & in cap. vt officium §. cōpeſcendi, de hæret. eod. lib. & nouiſſimè Trid. Synod. ſeſſ. 25. de reform. cap. 15. & Diaz. in Pract. crim. can. c. 151. & ſi Principes laici auxilium denegent, pœnis etiam affici ab Eccleſia poſſunt, ita Diaz. eod. verſ. Decimoquintò, 1

nam

suam Christiani Principes ad Ecclesiam tuendam tenentur, vt habetur in c. tibi domino, d. 63. & in Clem. vnic. de iureiur. & facit extrauag. vnam sanctam, vers. Vterq; ergo, ibi, Sedis quidem: de maior. & obed. Non est igitur mirandum, si Ecclesia ad hos Principes seculares aliquando confugit.

3 Quo ad tertium † libertas Eccl. hæc ad Diuinum cultum, & salutem animarum etiam pertinet, cùm ob prædicta, tùm quòd si Ecclesiasticæ personæ à iudicibus secularibus iudicarentur (quod laici clericis infensi sunt, vt dicitur in c. laicos, & in c. laici, 2. q. 7. & in c. clericis, de immun. Eccl. lib. 6. & quod in litibus Eccl. rerum terminandis, laici remissi sæpè sunt, vt dicitur in c. cùm sit generale: de foro compet.) vel dignitatis earũ ratio non haberetur, vel diutius lites producerentur; quamobrem, & clericalis dignitas contemneretur, & Ecclesiasticæ personæ in detrimentum cultus Diuini, & salutis animarum à diuinis auocarētur. Tertiam modo partem expleamus.

S V M M A.

1 *Ecclesiastica libertas in specie quid sit.*
2 *In quibus verfetur.*
3 *Templa ædificandi Eccl. potestatem habet.*
4 *Sacramenta potissimum in Ecclesia administrantur, & Diuina in ipsa fiunt.*
5 *Ecclesia potest cogere laicos, vt reficiant templa.*
6 *Stabilia etiam acquirere potest Ecclesia.*
7 *Coercere potest Eccl. impedientes prædicta.*
8 *Impedientes salutem animarum Eccl. coercere potest.*
9 *Libertas Eccl. cur sic nominetur.*

I V.

§. TERTIA species libertatis Eccl. ea est, quæ dicitur Libertas Eccl. in specie, de qua hæc videbimus. Primùm quid sit. Deinde, in quibus versetur.

1 Quo ad primùm igitur † Libertas Eccles. in specie est Libertas Eccles. qua Ecclesia omnia liberè facere potest, quæ ad Diuinum cultum, & salutem animarum pertinét. Dixi Libertas Eccl. pro genere. Dixi Reliqua, pro differentijs, quibus separatur ab antecedentibus speciebus; Nam per ipsas Ecclesia se tuetur ab oneribus,& à iudicijs secularibus; per hanc autem liberè(non valente potestate seculari repugnare) potest omnia facere,quæ ad Diuinum cultum, & salutem animarum pertinent, vt dixi, & mox probabo.

2 Quo ad secundùm † versatur Libertas hæc, vt reliqua
3 omittam, in his potissimum. † Primò, quòd vbiq; locorum Ecclesia ædificare potest, templa, & alia loca pia; nam, cùm Christus Dominus præceperit Apostolis, vt prædicarent Euãgelium omni creaturæ, vt habetur apud S. Marcum cap. 17. illis verbis, Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ; & eis, qui Euangelium accepissent, Sacramenta administranda essent, & alia Diuina officia etiam obeunda, quò magis magisq; fideles ad pietatem excitarentur, Diuinusq; cultus frequentaretur. Hæcq; in aliquo loco ad id præscripto ob maiorem dignitatem, ac religionem facienda essent, meritò, & facultatem concessisse Christum Dominum, concludendum est, suæ Ecclesiæ, idest suo Vicario, atque per ipsum inferioribus Prælatis, vt templa, piaq; loca ab ipsis ædificari possent; concesso enim aliquo, & omnia concessa intelliguntur, sine quibus concessum haberi nequit, l. 2. & ibi DD. not. ff. de iurisd. omn. iud. &
4 c. de causis, de off. deleg. † Hinc ab Ecclesia semper obseruatum est,vt aliqua pia loca essent,ad quę fideles conuenirent, & Diuina audirent, Sacramentaq; susciperent. Hinc deinceps Pontificio iure cautum est,vt Sacramenta in Ecclesijs administrarentur (Sacramentis quibusdam, & casibus exceptis) vt de baptismo in Clem. 1. de baptis. Et de Eucharistiæ Sacramento conficiendo, Missæq; sacro ce-

ero celebrando in tit. De celebr. Miss. & nouissimè apud Trid. Synod. sess. 22. in Decret. De obseruan. & euit. in celebr. Miss. in vers. Ne vè patiantur; Et de ordinibus sacris conferendis, sess. 23. de reform. cap. 4. Et de sponsis benedicendis apud eand. Synod. sess. 24. de reform. matr. cap. 1. vers. Præterea ead. sancta Synodus; Sicut etiam de Confirmatione conferẽda, & de Diuinis precibus celebrãdis; quamobrem Ecclesia domus orationis à Christo Domino dicta est, apud Matth. cap. 21. & postremò
5 omnia Diuina munera publica in Ecclesijs fiunt. † Hinc Trid. Synod. hac auctoritate etiam fulta, sess. 21. de reform. cap. 7. sanciuit, vbi Ecclesiæ Parochiales collapsæ refici, & restaurari debent, si ex fructibus, & prouẽtibus earum refici, atq; restaurari nequeant; vt Parochiani (si per eorum facultates id eis liceat) ad eas reficiendas, & restaurandas cogerentur, vt ibi dicitur. Id, quòd summa ratione etiam factum est, scilicet, ob sacra illa misteria, & Diuina Sacramẽta, Diuinumq; cultum, quò maiori sanctitate, ac maiestate fiant. Ac planè, si Ethnici, quò suis vanis simulacris, atq; idolis profana sacrificia offerrent, templa augustissima erigebant; quantò magis vero Deo, quem colimus, vt ibi piè, sanctèq; à Christi fidelibus adoretur, veraq; sacrificia offerantur, ædificari debent? Postremò, & Deus ipse Optimus Max. in veteri lege, vt templum ipsi ædificaretur, Dauidi præcepit, quòd Salomon eius filius tandem adimpleuit; Libertas igitur Eccl. hoc facit, ducta à iure Diuino (vt cõstat) per necessariam consequentiam, quod & infra suo loco probabimus.

6 Præterea † cùm ad Ecclesias ædificãdas, ad Diuina facienda, & Sacramenta administranda ministri necessarij sint, necnon vestes, & sacra vasa postulentur, item, cum fides Christiana contra eius hostes defendenda sit: hæc autem sine bonis stabilibus, & mobilibus fieri nequeant, conseruariq; diutius non possint, vt per se patet; necessariò asserendum etiam est, & facultatem ei concessam esse,

vt (quò prædicta omnia fiant, ac sustententur) cuiuscũq;
7 generis bona Ecclesia acquirere, ac retinere posset. † Et qui hanc facultatem ei adimere conaretur, coercere valeret, vt habetur in c. 1. & in c. fin. de immun. Eccl. lib. 6. & iuxta l. 2. ff. de jurisd. omn. iudi. & l. fin. ff. de off. eius. Hinc Paschalis Papa in c. sunt quidam. 1. q. 1. vt sacrilegos puniendos ait, qui vel violentia, vel fauore non permittunt, Ecclesias ordinari, & Gloss. ibi id meritò fieri ait; si .n. sacrilegi sunt, qui immunitatem Ecclesiæ frangunt, vel inde aliquid eripiũt, multò magis, qui faciunt, ne Ecclesiæ ordinentur. Idem Gratian. in c. nullus Episcopus. §. qui autem. ead. q. Idem sensit Ambrosius in c. conuenior. 23. q. 8. Nec facit, si dicatur, prędictis prouideri posse rebus mobilibus, nam ad Ecclesias ædificãdas stabilia quoque necessariò postulantur; non .n. Ecclesiæ portatiles fieri possunt, atq; sacra templa. Præterea, quod per se patet, bonis stabilibus meliùs, & abundantius subuenitur, ac pluribus, scilicet, tam præsentibus, quàm futuris necessitatibus. Et hæc est ratio, ob quam Ecclesia Spiritu sancto edocta, cœpit bona ei relicta non alienare, vt dixit Vrbanus Papa in c. videntes. 12. q. 1. & Melchiades in c. futuram. ead. q. 1. Postremò, decernere, ne Ecclesia stabilia habeat, ac retineat, ad potestatem Ecclesiasticam pertinet, & non ad Principem laicum; nam, & sic in primitiua Ecclesia fiebat, vt dicitur in cit. c. futuram, & in cit. c. videntes. ead. q. quare ob hanc rationem, nec statuere Princeps laicus potest, vt vendant Ecclesiæ bona stabilia, & prætium consequantur, vt habetur in c. 1. & ibi not. Gemi, ac DD. de imm. Eccl. lib. 6.
8 Tertiò, † ex quò Christus Dominus iussit Apostolis, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, simul etiam facultatem tacitò tribuit, vt qui eius progressum impedirent, & idcircò animarum salutem, coerceri etiam possent ob rationes proximè allatas. Quare, qui impediunt, ne
Mona-

Monasteria fiant, ne Hospitalia ædificentur, ne Confraternitates instituantur, ne stabilia eisdem pijs locis relinquantur, iure meritò & hi ab Ecclesia coerceri possunt; nam impediunt salutem animarum eorum, qui prædicta ædificare volunt; impediunt etiam, quantum in ipsis est, ne in Monasterijs Deo fideles inseruiant. Postremò, Hospitalibus nõ ædificatis, subsidium pauperibus auferunt. Hinc impedientes, ne quis religionem ingrediatur, puniuntur à Trid. Synod. sess. 25. de regul. cap. 18. sicut etiam; qui pia legata non præstant, quibus debentur, & qui Hospitalium curam gerunt, si ea non administrent, vt decet; sicut habetur apud eandem Synod. sess. 22. de reform. cap. 8. & cap. 10. Hinc ob prædicta, singulis annis Bulla Cœnæ Domini publicatur, quâ censuris obligantur tum ij, qui alia grauia delicta committunt; tùm, qui contra libertatem Ecclesiast. faciunt. Hinc apparet, libertatem Eccl. differre à potestate Eccl. nam hęc, quæ ordinis, ac iurisdictionis sunt, exercet; illa verò operatur, vt ea facilius, honestius, ac liberiùs exerceantur, vt probaui, quamobrem & in secularia ius habet; vt vidimus contra hos Iure consultos in suis præmissis. Sed de hac specie itidem satis. Hæ igitur omnes species Eccl. libertatis sunt.

9 Dicitur † autem Libertas ob prædicta, quòd à potestate laica Ecclesia libera est in prædictis; & quod liberè facere omnia potest, quæ ad Diuinum cultum, & salutem animarum pertinent. Nec repugnat, si dicatur, Ergo Ecclesia poterit aliena inuitis dominis occupare ad Diuinũ cultum peragendum, & ad Ecclesias ædificandas, & huiusmodi. Negatur. n. hoc; nam Ecclesia non vsurpat aliena, c. filius, de test. & c. fin. 17. q. 4. & c. ex tenore, de foro compet. Sed solũ, quæ legitimo titulo ei relinquuntur à volentibus, & legitimè transferẽtibus accipit. Non .n. Deus colitur, ac placatur rapinis, atq; furtis; c. 1. & 2. 14. q. 5. abominabiles nanq; sunt victimæ impiorum,

c. scri-

c. ſcriptum eſt, ead. q. 5. Minus etiam ſalus animæ comparatur, ſi ab inuitis res auferantur. Hinc, nec iniuſtè acquiſita Eccleſia recipit, c. oblationes, & ibi Gloſſ. d. 19. Solùm igitur accipit ea, quæ legitimo titulo ei dantur à dominis volentibus, & non inuitis, & valentibus ea transferre, non à furioſis, non à pupillis ſine tutoris auctoritate; non ab ijs, qui liberam de rebus diſponendi facultatem non habent, vt ex allegatis iuribus habetur.

Dicitur demum Eccleſiaſtica, quoniam Eccleſia eam habet, vel quòd Eccleſia eam exercet. Atqui de hoc primo capite ſatis, ad alterum tranſeamus, ſcilicet quo iure libertas Eccl. ſit: id, quod in ſeq. præſtabimus.

De libertate Eccleſiaſtica, quo iure ſit. Premiſ. II. Cap. II.

S V M M A.

Libertas Eccleſiaſtica eſt de iure Diuino, & qua ratione.

SECVNDÒ videndũ eſt, quo iure Libertas Eccl. ſit; quod.n. Diuino iure ſit, quò ad exemptionem Clericorum, habetur in c. ſi Imperator, d. 96. Non à legibus publicis, nõ à poteſtatibus ſeculi (ait ibi Ioannes Papa) ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotẽs Deus Chriſtianæ religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, & recipi de errore remeantes. Ecce, hic haberi, ab Omnipotenti Deo à ſecularibus iudicijs Clericos exemptos eſſe, & inde colligit, Gloſſ. antequam eſſet aliqua conſtitutio, Clericos non fuiſſe de iuriſdictione ſeculari. Idem habetur de Immunitate Eccleſiæ, & de Exemptione itidem Eccl. perſonarum, in c. quanquam, de cenſ. lib. 6. Cum igitur

(inquit

(inquit, ibi Bonifacius VIII.) Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum non solum iure humano quinimmo, & Diuino à secularium personarũ exactionibus sint immunes, & hoc etiam dixit Inn. III. in c. nimis, d. iureiur. & Gelasius Papa in c. Siluester. 11. q. 1. Idem asserunt Abb. Felin. ac Dec. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. & Inn. & Felin. in c. 2. de maior. & obed. vbi cõmunem hanc opinionem esse testatur; sicut etiam Viu. in sua Syl. opin. 106. & Couar. quò ad Exemptionem Clericorum Prat. q. cap. 31. nu. 2. estò, contrariam opinionem ipse sequatur. Id quod & nouissimè significauit Trid. Synod. sess. 25. de reform. cap. 20. Nam, ait ibi, Ecclesiæ, & personarum Eccl. immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ordinationibus constitutam. Cõmunis igitur opinio est, Libertatem Eccl. de iure Diuino esse.

Verùm quia Doctores, qua ratione Libertas Eccl. de iure diuino sit, idest, vbi in iure Diuino id habeatur, dubitarunt, & multi multa dixerunt, vt sensit Couar. lib. 1. var. resol. cap. 17. & Prat. q. cap. 31. nu. 2. vers. Tertia verò probatio; ob eam rem, quo modo de iure Diuino sit, explicandum mihi proposui.

Dico igitur, de iure Diuino tribus modis Libertatem Eccles. esse. Primò de iure Diuino puro. Secundò de iure Diuino positiuo. Tertiò de iure positiuo Eccles. lato potestate diuinitus tradita, idest in tribus his iuribus Eccles. Libertatem reperiri.

Quòd de iure Diuino puro, ac mero sit (Ius autem hoc appello illud, quod à Deo, antequam homo fieret, latum est) duobus modis probatur. Primũ de iure scripto, idest in veteri lege (Diuinum .n. ius illud primò dicitur, quod in scripturis Diuinis habemus, c. 1. d. 8.) Exemptionem, seu Immunitatem personarum Eccles. dedit Deus in lib. Num. cap. 1. Nam Leuitæ, qui tabernaculi curam gerebant, & idcircò rerum sacrarum, vetuit Deus, ne inter eos numerarentur, qui ad pugnam profecturi essent, & sic

liberos esse voluit, atq; immunes ab oneribus personarũ; Tribum leui noli numerare, dixit Deus Moysi, neq; pones summam eorum cum filijs Israel; sed cõstitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quicquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius; & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Cum proficiscẽdum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum, cum castra metanda, erigent. Ecce, hic Leuitas, in quorum locum Clerici suffecti sunt, immunes à Deo factos fuisse ab oneribus laicorum, idest à bellicis laboribus. Et quamuis de immunitate belli ibi tantum agatur; idem tamen dicendum est & de alijs oneribus ob rationem ibi tacito redditam, quod scil. tabernaculi, & rerum sacrarum curam gerere habebant. De hoc igitur iure Eccles. personæ personarum immunitatem habent.

Secundo, lumine, seu ratione naturali (quod & ius Diuinum dicitur, vt dixit Ioann. Driedon. lib. 1. de Libert. Christ. cap. 9. & habetur in c. 1. d. 1. Omnes leges, dicitur ibi, aut Diuinæ sunt, aut humanæ. Diuinæ natura constant. Ecce, hic Diuinas leges eas quoq; dici, quæ natura constãt, idem habetur in §. Sed naturaliter, instit. de iure natur. gent. & ciuil.) lumine, inquam, & ratione naturali, personæ, ac res Eccles. à potestate laica liberæ sunt. Id, quod hinc probatur, quoniam ex quo personæ, & res Eccles. Deo dicatæ, ac sacræ factæ sunt, vt dixit S. Thom. communiter recept. 2. 2. q. 99. art. 3. nõ sunt amplius res seculares, sed spirituales; & idcircò potestas laica non potest de illis quicquam disponere; quandoquidem eius obiecta sunt temporalia, & carnalia, vt habetur in c. solitæ, de maior. & obed. & in c. nos si incompetenter, vers. Sed notandum, 2. q. 7. Hinc Gloss. in c. si Imperator, d. 96. in verb. Discreti, inquit, & antequam esset alia constitutio, Clericos non fuisse de iurisdictione seculari ob rationem propositam naturalem.

Secun-

Secundò, ratione alia naturali etiam probatur; nam Gregorius in c. quis dubitet, ead. d. 96. appellat Sacerdotes Regum, Principum, omniumque fidelium patres, atq; magistros, & lex Euangelica dicit eos Pastores. Si ergo ita est, non ne à ratione naturali alienissimum quisq; dicet, vt pater filio, magister discipulo, pastor gregi subiectus sit? Plane insanus esset, qui hoc diceret, vt inquit S. Gregorius in cit. c. quis dubitet, Non ne miserabilis insaniæ cognoscitur (dicitur .n. ibi) si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & inquis obligationibus eum suæ potestati subijcere, à quo credit nō solum in terra, sed etiam in Cœlis se ligari posse, & solui? Hæc ibi Gregorius; rationi ergo naturali repugnat, vt Eccles. personæ Principi seculari subijciantur.

Tertiò, alia naturali ratione probatur, si .n. Principes seculares præessent personis Eccl. minus dignus præesset digniori; & inferior superiori: quod naturæ repugnat, c. cum inferior. de maior. & obed. Ecclesiasticæ .n. personæ, vt quæ Deo inseruiunt, in spiritualibus, digniores sunt secularibus, quæ præsunt carnalibus. Hinc potestas Eccles. seculari præest, sicut Sol, Lunæ, & aurum plumbo, vt inquit Roman. Pont. in cit. c. solitæ, de maior. & obed. & in c. duo sunt, d. 96. & facit Extrauag. vnam sanctam: de maior. & obed. vers. Oportet autem, cum simil. cit. à me, in Tract. de Iust. & Valid. Monit. cap. 3. §. 1. vers. Præterea quo ad prædicta. Addo, si Princeps laicus in spiritualia iurisdictionem haberet, sequeretur, duo capita spiritualium dari, vnum Ecclesiasticum, & alterum temporale: at hoc est contra Extrauag. vnam sanctam: de maior. & obed. & contra c. in apibus, 7. q. 1. ergo.

Postremo, omnis potestas à Deo est, quę autem à Deo, ordinata sunt; at si secularis Princeps præesset Eccl. personis, non essent ordinata, vt pote, quia minus digna dignioribus præessent, ergo non est hoc dicendum, atq; sic argumētatur Romanus Pont. in cit. Extrauag. vnam san-

ctam, verf. Namq; cum dicat Apoftolus. Ex quò igitur & lumine, ac ratione naturali Eccl. perfonæ laicis fubiectæ non funt, meritò immunes, atq; exemptæ ab ipfis habentur, idq; de iure Diuino puro, ex quo lumen hoc, ac ratio naturalis à Deo funt, quare meritò à poteftate laica exemptæ funt, & ab omnibus oneribus immunes.

Eadem ratione, & eodem iure Diuino bona Eccl. immunia funt ab oneribus laicorum. Tùm quod facra funt quartæ fpeciei, vt dixit S. Thom. ibid. Tùm quod eorum dominium Dei, & Domini noftri Iefu Chrifti eft, vt dicitur in c. quifquis, ibi, Quæ Dei funt, 12. q. 2. & in c. 1. ead. q. 1. cum multis alijs cit. à Me eod. §. 1. verf. Tertiò alia folidiffima. Si ergo bona Eccl. Chrifti Domini funt, quo iure, qua ratione, quá fronte Principes feculares de his bonis quicquam ftatuere, aut decernere audēt? Plane non ne ridiculum effet, feruū rebus fui Domini legem imponere velle, oneribufuè afficere? hoc autem abfurdiffimum effe, nemo fanæ mentis inficiabitur. Hinc ob eandem rationem, quòd res Ecclefiæ Domini funt, apparet, laicos Principes non poffe prohibere, quin ftabilia Ecclefijs relinquantur, quandoquidem hoc effet, incapacem ipfum Deum reddere huiufmodi bonorum, & eundem fit fubditum facere, quod non modò iniquum, fed etiam impium eft dicere. Hinc etiam apparet, multò minus Principes laicos poffe Ecclef. perfonas iudicare, ex quò Deo confecratæ, & de præcipua eius familia funt, idq; ratione naturali fuadente, ac iure Diuino. Quamobrem etiam factum eft, vt apud omnes gentes, quæ verum Deum etiam non norunt, priuilegijs huiufmodi Sacerdotes eorum affecti funt tam quò ad res, quàm quò ad perfonas, ficut apud Aegyptios, vt habetur in Genef. cap. 47. & refertur in c. non minus, de immunit. Eccl. & lib. 1. Efdræ cap. 7. vbi immunes effe Sacerdotes, & qui templis inferuirent, à tributis, & alijs oneribus Artaxerfes voluit. His igitur modis de iure Diuino puro Libertas Eccl. eft;

iam videamus; qua ratione etiam sit de iure Diuino positiuo.

S V M M A.

Libertas Ecclesiastica de iure Diuino positiuo etiam est, & qua ratione.

§ SECVNDO. Libertas Eccles. de iure Diuino positiuo etiam est. Ius autem hoc appello illud, quod Deus, postquam homo factus est, idest, Christus tulit; nam quod Christus Deus est, Diuinum ius dicitur, quod itidem & homo, ius positiuum nominatur: Christus .n. & Deus; & homo est, vt declaratur in Symbolo Sancti Athanasij; nam dicitur ibi sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus.

Quod autem hoc iure sit Libertas Eccles. hinc probatur. Nam, quod Eccles. personæ exemptæ sint à foro seculari, hinc cōuincitur, quod per characterem ordinis, eximuntur à communi Societate Christianorū, vt dixit Cathec. Rom. de Sacramentis in genere, cap. De effectu characteris, & constituuntur ministri aliorum fideliū, & Deo prorsus dicantur, atq; consecrātur, c. cui portio, & c. duo sunt genera, 12. q. 1. Et quò igitur ministri sunt Dei Optimi Maximi; & de eius pręcipua familia, meritò à laicis Principibus exempti sunt, vt etiam supra dixi; nam familia Principum laicorum, & quorumcunq; Principum non iudicatur, nisi ab ipso Principe, vel ab eo, qui à Principe potestatem hanc habet.

Quod etiam immunes sint ab oneribus, habetur apud S. Mattheum cap. 17. vbi Iesus interrogans Simonem de solutione didragmatis dixit, Reges terræ, à quibus accipiunt censum, vel tributum? à filijs suis, an ab alienis? & cum ille respondisset, ab alienis, subiunxit Iesus; Ergo liberi sunt filij, filiorū autem nomine, Ecclesiasticæ per-

ſonæ accipiuntur, vt interpretantur ibi Sancti Hieronymus, & Auguſtinus.

Poſtremò, probatur id etiam ratione ducta ex neceſſaria illa conſequentia, quam poſuimus ſupra cap. 1. §. 4. Ex quo .n. Chriſtus Dominus & ordinis, & iuriſdictionis poteſtatem Eccleſiæ dedit; & illa dediſſe aſſerendum eſt, quæ ad vtranq; poteſtatem exercendam poſtulãtur (conceſſo .n. aliquo omnia conceſſa intelliguntur, ſine quibus conceſſum haberi nequit, l. 2. & ibi omnes DD. ff. de iuriſd. omn. iud. & c. de cauſis, de off. deleg.) Quare quod laici Eccleſ. perſonis infeſti ſunt, c. clericis, de immunit. Eccl. lib. 6. vt experientia in caſu noſtro oſtẽdit; & quod inuidẽt ſæpius fęlicitati Eccleſiæ, vt dixit Summus Pont. in c. 1. de immunit. Eccleſ. lib. 6. meritò & perſonas, ac res Eccl. à poteſtate laica eximiſſe concludendũ eſt. Addo, quòd ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & iudicare, ſi bona non fuerit; non autem è contrariò, vt dicitur in Extrauag. vnam ſanctam, verſ. Nam veritate teſtãte, de maior. & obed. Hinc inquit Bonifacius ibid. temporalem poteſtatem ſpiritali ſubijci. Si ergo hæc ita ſunt, qua ratione, qui ſubditi ſunt iuriſdictionem ſibi vendicabũt in eos, quibus ſunt ſubiecti? abſurdum hoc eſſet. Non modò igitur exempti clerici ſunt à laicis, verùmetiàm & ipſis dominantur. Sed iam, qua ratione ab Eccleſia, & de iure poſitiuo Libertas Eccleſ. ſit, videamus.

S V M M A.

Libertas Eccleſiaſtica eſt etiam de iure poſitiuo Eccleſiæ, & qua ratione.

§. POSTREMO Eccleſia etiam poteſtate ſibi diuinitus tradita Libertatem Eccleſ. conſtituit, & declarauit, vt habetur apud Trid. Synod. ſeſſ. 25. de reform. cap. 20.

cap.20.vers.Ecclesię; ibi enim Sancta Synodus cōfidens, catholicos Principes non permisuros, vt libertas Eccl. à Magistratibus violetur, sic inquit, Nec permisuros, vt Officiales, aut inferiores magistratus Ecclesiæ, & personarū Eccles. immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis constitutionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent; sed vna cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum, & Conciliorum constitutionibus obseruantiam præstent, & cęt. Ecce hic vbi libertas Eccl. nititur, & cōstituta est, scil. primo Dei ordinatione, idest potestate, quàm Sancta Synodus ordinationem appellat, ob rationes naturales supra allatas. Secundo, & Canonum sanctionibus, quoniā per constitutiones Summorum Pontif. & Canones sanctorum Conciliorum (vt paulo post subiungit sancta Synodus) explicata, & expressa est; nec non pænis munita. Hinc Gloss. in d. c. si Imperator. in verb. Et discreti d. 96. inquit (antequam esset aliqua constitutio) Clericos non fuisse de iurisdictione seculari; vnde subiungit, omnes constitutiones, quæ emanauerunt, quod Clerici non sint iudicandi, nisi ab Episcopis, nō sunt nisi iuris declaratio. Hæc ibi Gloss. Ecclesia igitur suis constitutionibus, quod vtroque iure diuino statutum iam erat, vel saltem, significatū de libertate Eccles. suis cōstitutionibus declarauit, & auxit nam et qui libertatem Eccl. violarent, pænis pluribus affecit, vt habetur in tit. de immunit. Eccl. lib. 6. & in antiq. Immò & quod laici Eccl. personis infesti sunt; & quòd reprehendere habent de vitijs, & peccatis omnes, quamobrem & in odium multorum incurrunt, vt dixit Trid. Synod. sess. 13. de reform. cap. 6. ob eam rem, & qui eas percuterent, vt in excommunicationem inciderent, cauit; his .n. immunitatibus Eccles. personæ minus à diuinis auocantur, & commodius habent, vnde se sustētent & in suis officijs, ac residentijs quieti, & sine impedimentis cum fructu, & ædificatione populi permanere valent,

vt dixit Trid.Synod.ead.sess.25.de refor.cap.20. Quamobrem etiam sancta Synodus hortatur Principes, vt Ecclesiæ sua priuilegia, atq; immunitates, ac libertatem Eccles. ob prædictas causas conseruent, ac tueantur. Ecclesia igitur & suis constitutionibus libertatem Eccles. declarauit, ac muniuit.

Immò esto quòd Canones libertatis Ecclesiasticæ ab Ecclesia cõstituti sint, de iure tamen diuino ipsos esse, asserendum est; & hoc ob hanc rationem, quòd potestate ipsi Diuinitus tradita canones huiusmodi Ecclesia fecit; atq; sic de censuris dixit So:.d.22.q.1.art.1.vers. Ex his autem occasio sumitur lib. 4. Facit quoq; Extrauag. vnã sanctam, de maior. & obed. ob hanc rationem igitur meritò communi DD. catholicorum sententia, de iure Diuino libertas Eccl. dicta est; non .n. consensus Principum secularium requiritur, vt dixit Innoc. in cap. 2. de maior. & obed. & facit c. imperium dist. x. & Trid. Synod. eod. cap.20. ibi, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus; nam non dixit, Imperatorijs constitutionibus; sed canonicis. Et hinc colligitur, ex quò à potestate diuina his modis, quos recensuimus, libertas hæc Eccl. emanat, sicut potestas illa diuina, & supernaturalis à Principe Laico nec consuetudine, nec præscriptione acquiri potest, ita nec vlla ratione libertas Eccl. ab eo tolli, ac minui valet, atq; sic dixit Lucius III. in c. si clericis, de Iud. s. quò ad exemptionem Clericorum consuetudine induci non posse, vt clerici in criminalibus apud Iudices seculares conueniantur. Idem dixit Gloss. ibi generaliter in omnibus ob eam rationem, quòd est contra libertatem Eccl. & sequeretur Abb.ibi.n.5. ac DD. & Rot. in antiq. de consuetudine, decis. 3. & 10. vbi pluribus rem istam egit; facit quoq; c. ad audientiã, de consuet. & c. cum terra, de elect. Hinc Couar.prat.q.cap.31.num.4. exemptionem Clericorũ à nullo Principe quantocunq; summo per suas constitutiones tolli posse, asseruit. Idq; iure meritò, ex quo

enim

enim exemptio, & Libertas Eccl. à Diuina potestate, & supernaturali inducta est, à laica inferiori potestate tolli nequit, c. cum inferior. de maior. & obed. & c. inferior. d. 19. pro vt in sequenti etiam probabimus.

De libertate Ecclesiastica, an à Principe laico tolli, impediriuè possit. Præmiss. III. Cap. III.

S V M M A.

1 Immunitates personarum, locorum, ac bonorum Eccles. à Principe laico tolli, minuiuè non possunt.

1 TERTIO mihi explicādum proposui,† an Immunitates personarum, locorum, ac bonorum Eccl. idest, an Libertas Eccl. à Principe laico tolli, minuiuè possit. Videbatur dicendum, posse. Primò, quia potestas laica ab ipso Deo est. Secundò, quoniam Libertas hæc videtur, vt plurimum consistere in rebus secularibus. Tertiò, quia plures immunitates à Principibus laicis Ecclesiæ concessæ sunt, vt in c. Constantinus, d. 96. & in c. futuram Ecclesiam, 12. q. 2. & C. de sacrosanct. Eccl. & C. de epis. & cler.

Atqui contrarium concludēdum omninò est, scilicet, Principem laicum nec tollere, nec minuere Eccl. Libertatem posse. Primò, quoniam Libertas Eccl. & Immunitas Ecclesiæ sunt de iure Diuino, explicatæ tamen, ac declaratæ ab Ecclesia, virtute potestatis ipsi diuinitus, ac supernaturaliter traditæ, vt supra probaui. Ergo tolli, ac minui nequeunt à laicis, qui potestatem hanc non habēt, sed solùm circa secularia, vt habetur in c. solitæ, de maior. & obed. & in c. si nos incompetenter, vers. Sed notandum est, 2. q. 7. & vt probaui in Tract. de iust. & valid.

mon. Vnumquodque .n. tollitur ea poteſtate, qua indu-ctum eſt, arg. l. nemo, qui condemnare, ff. de reg. iur. & l. 3. ff. de re iud. & facit l. nihil tam naturale, ff. de reg. iur. & l. fin. C. de leg. Cum igitur à Diuina poteſtate, diuerſa à laica, inſtitutæ ſint, quæ ſuperior eſt poteſtati laicæ, vt dicitur in Extrauag. vnam ſanctam, de maior. & obed. nulla ratione ab inferiori poteſtate tolli, minuiuè poſſunt, ex quo inferior in ſuperiorem poteſtatem non habet, c. cum inferior. de maior. & obed. & c. inferior. d. 21.

Præterea, ſi Principes laici immunitatem Eccl. ac Libertatem tollere poſſent, quæ à poteſtate diuinitus, ac ſupernaturaliter Eccleſiæ tradita, inſtitutæ, vel explicatæ potius ſunt, vt ſupra probauimus, poſſent etiam excommunicare, aliaſuè cenſuras ferre, ab iiſdemq; abſoluere, inſtituere beneficia Eccl. ea tollere, collationes eorundem facere; necnon renunciationes accipere; quandoquidem eadem poteſtate ſupernaturaliter Eccleſiæ tradita prædicta inſtituta ſunt: at nullus catholicus vnquam, Principes ſeculares hæc poſſe facere, dixit, neque etiam ſomniauit, vt dixit Nauar. in conſ. 1. nu. 8. de for. compet. Ergo neque etiam licet Principibus ſecularibus tollere, minuereuè Libertatem Eccl. ab eadem poteſtate profectam. Pro certo igitur habere debemus, à Principe laico Libertatem Eccl. tolli minuiuè non poſſe.

Non obſtat modò, quod dicebatur, poteſtatem laicam à Deo eſſe; hoc enim ad rem noſtram nihil facit; nam poteſtas laica data eſt à Deo hominũ Communitati iam inde ab exordio eius, ad ſe gubernandum in rebus naturalibus, vt benè, ac beatè viuant ſecundum naturalem rationem. Poteſtas Eccleſ. verò data eſt Eccleſiæ ad gubernandum fideles ſecundum legem Euangelicam in ſupernaturalibus, & quatenus opus eſt etiam in naturalibus, vt Summus Pont. dixit in c. per venerabilem, qui fil. ſint leg. atq; ſic dixit Nauar. in eod. conſ. 1. nu. 3. de for. compet. Quamuis igitur poteſtas vtraq; à Deo ſit, Eccle-

siastica tamen superior est, vt habetur in cit. Extrauag. vnam sanctam, de maiorit.& obed.& idcirco non potest laica potestas se immiscere in ijs, quæ pertinent ad spiritualia, nec, quæ ab Ecclesiastica potestate, tanquàm à superiori (instituta sunt) tollere.

Non obstat, quod secundò dicebatur, libertatem Eccl. sæpius esse de rebus secularibus; nam diuina ordinatione id fit, quatenus res seculares pertinent ad diuinũ cultum, & salutem animarum; non .n. spiritualia sine temporalibus diutius esse possent c.si quis obiecerit 1.q.3.ex quò.n. Eccl. personæ operam dare habent diuino cultui, & animarum saluti, Ecclesiæ, ac templa necessaria sunt, vestes, atq; vasa sacra, & ministri requiruntur, & ad hos sustentandos, ad illaq; paranda, ac conseruanda bona, cùm mobilia, tùm stabilia necessaria sunt. In his igitur, vt latius supra dixi, libertas Eccl. versatur, quò & commodius, & facilius prædicta omnia executioni mandentur.

Non obstat deniq; quòd à quibusdam Principibus secularibus priuilegia quædam, & immunitates Ecclesiæ concessa leguntur, vt exempli gratia, templa ædificandi, vt in c.futuram 12.q.1.nam potius per hos Principes impedimenta remota sunt, quæ de facto fiebant Ecclesiæ, quominus sacræ ædes ædificarentur; non autem, quod Ecclesia potestatẽ ad id non haberet, vt id supra etiam dixi. Id, quod hac ratione solidissima etiam probatur; nam Ecclesia potestatem habet prædicandi Euangelium omni creaturæ, & baptizandi, & alia sacramenta administrãdi iux. illud Christi Domini, Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ; de facto autem impeditur à Turcis, & ab alijs gẽtibus; Si ergo Princeps Turcarum; vel aliarum gentium, licentiam daret Christianis, vt verbum Dei prędicarent in suis regnis, ac baptizarent, & alia sacramenta administrarent, an diceretur Ecclesia potestatem ab eis habere faciendi hæc in suis regnis? Planè non; nam à Christo Domino potesta-

tem hanc iam habet, vt vidimus; licentia verò illa solùm prodesset, ne impediri prædicatio, & alia possent. Ita in casu nostro, quamuis Principes laici potestatem ædificandi Ecclesias concesserint, impedimentum, quod de facto fiebat à Tyranis, tantum eos remouisse, concludendum est; non autem potestatem, quæ iuris, est concessisse idem & de alijs speciebus libertatis Eccl. asserendum est. Potestas igitur secularis immunitates Ecclesiarum tollere nō potest. Immò, siquid noui Principes Ecclesiæ concederent, quod ab eadem probaretur, quod iam Ecclesiasticū diceretur (qui .n. confirmat aliquid, suum facit l. 1. ff. de veter. iur. enucl. & c. si apostolicæ, de præbend. lib. 6. & not. Abb. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ num. 5. vers. Nota casum vnum, de constit.) tolli à concedente non posset. sed de hoc tertio hactenus, iam quartum aggrediamur.

De Decretis à Senatu Veneto promulgatis quòd contra libertatem Eccl. sint. Præmis. IV. Cap. IV.

S. V. M. M. A.

1 Decreta promulgata à Senatu Veneto contra libertatem Ecclesi. sunt.

1 QVARTA quæstio, quam proponendā, & explicandam mihi proposui, hæc † est, an Decreta Senatus Veneti, de quibus nunc agitur, contra libertatem Eccles. sint. In qua quæstione, quæ ex iam dictis soluta est, breuiter concludimus, contra libertatem Eccl. ipsa esse. Id, quod hinc probatur; nam primum Decretum de caducitate sublata bonorum Ecclesiæ iam acquisitorum; cum disponat de bonis Eccles. contra primam speciem libertatis Eccl. est; de quo

Decreto hi Iurecōsulti nihil ausi sunt dicere, ex quo eius Iniustitia apertissimè notoria est. Alterum de coercendis Eccl. personis contra secundam speciem libertatis Eccl. facit, atq; ipsam violat. Tertium Decretum, quo prohibitum est, ne Ecclesiæ, aliaue pia loca à suis subditis stabilia acquirant vllo titulo; & acquisita post bienniū alienare Ecclesia cogatur. Et quartum ne sacræ ædes, locaq; alia pia sine Senatus licentia construantur, & contra primam, & tertiam speciem libertatis sunt, vt in antecedentibus probauimus. Ad quintum transeamus, quod mihi præmittendum proposui.

De Rationibus, quibus Decreta Senatus Veneti iniusta, atq; nulla esse probantur; & de opinione Iurisconsultorum quorundam asserentium, ipsa Decreta iusta, atq; valida esse. Præmis. V. *Cap. V.*

S V M M A.

1 *Decreta Senatus Veneti sunt contra libertatem Eccl.*
2 *Continent errorem intolerabilem.*
3 *Scandalum graue præbent.*
4 *Ecclesiastica persona tanquam Iudæi, & Ecclesiæ, tanquam Sinagogæ quasi habentur in Statu Veneto.*
5 *Argumentum commune horum Iurisconsultorum quodnam sit.*

POSTREMO, quod præmittendum mihi proposui, est, probare quibusdam alijs rationibus, præter allatas in Tract. De Iust. & Valid. Mon. Decreta Senatus Veneti iniusta, atq; nulla esse † Id, quod
1 probatur primo hac ratione, quoniã hęc Decreta contra libertatem Eccl. sunt, quam Principes laici tollere, atq; impedire non possunt, vt supra probaui.

Ergo nō valent, ex quo de ijs lata sunt, in quæ iurisdictionem nō habet Princeps secularis; & idcirco extra suā iurisdictionē sunt ca.fin.de constit.lib.6. & l.fin.ff.de iurisd. omn.iud. & c.7. apud Trid. Syn.sess. 14.de Sacr. pœnit. etenim, vt inquit S.Tho.1.2.q.96.ar.4.lex lata non debet excedere potestatem ferentis, id quod sentit Abb.in cap. Ecclesię S. Mariæ n. x. de constit. & Syl.in verbo Lex.q. 5. sunt etiā in pręiudicium Eccl.c.1.& cap. fin.de immunit.Eccl.lib.6.iunct.c.quæ in ecclesiarum, & c.Ecclesia S. Mariæ, argumento sumpto à maiori ad minus, de costit. etenim nec consuetudo Ecclesiæ onerosa valet c.1.& c.ad audientiam, & c.cum ita, de consuetud.

2 Præterea † per Decreta hæc inter alia hęc prohibentur, ne sine licentia Ecclesiæ ædificentur, ne Monasteria, atq; Hospitalia construantur, & ne eleemosynæ de bonis stabilibus pro salute etiam animarum, pro Religiosorum, atq; pauperum sustentatione eisdem locis relinquantur (prohibetur .n. his decretis, ne vllo titulo stabilia relinquantur, & idcirco nec etiam pro eleemosyna; qui enim totum prohibet, nihil concedit l. Iulianus ff. ad exhiben.) ergo, exquo prohibent hæc Decreta eleemosynam pro tam pijs causis, errorem intolerabilem continent arg. cap. venerabilibus §.pen.de sent.excom.lib.6. Ibi .n. sententia excommunicationis intolerabilem errorem continere dicitur, quę in eum fertur, qui facit aliquid, quod in se bonum est, vtpotè eleemosynam, vt ibi dicitur, Ergo, & Decreta hæc errorem intolerabilem continent, cùm pia illa opera prohibeant, quæ per se bona sunt. Sicut igitur illa sententia censurę nulla dicitur in cit.§.pen.ita, & Decreta hęc nulla dicenda sunt, ob eandem rationem, cap. cùm dilecta, de confirm. vtil. vel inutil. & l. illud ff. ad leg. aquil.

3 Tertiò † Decreta hæc scandalum graue tribuunt; cùm enim prædicta opera pia prohibeantur per ipsa, scilicet, ædificatio Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium,

Con-

Confraternitatum, eleemosynæ rerum stabilium; homines auocantur ab his pijs operibus, quod graue scandalum est, vt de filijs Heli alibi retuli. At cum scandalo nihil faciendum est, etiam si bonum sit id; quod fit, modo sine peccato mortali ommitti possit, vt dicit in c. cum ex iniuncto, & ibi not. de oper. noui nunc. Hinc Apostolus inquit; Si scandalizatur frater, non comedam carnes in æternum (vt refertur ibi.) Ergo, ex quo bona omittenda sunt, vbi scandalum datur, si sine peccato mortali ommitti queunt; multo minus Decreta hæc fieri debent, & facta non valent, quæ scandalum præbent; & si seruentur, ob prædicta, mortiferè peccatur.

4 Postremò † Eccl. personæ per hæc Decreta ad instar Iudæorum, & Ecclesiæ ad instar Sinagogæ eorundem, redactæ sunt. Nam sicut Synagogæ nouæ à Iudæis ædificari nequeunt sine licẽtia Pontificis, c. Iudæi, 1. & c. consuluit, de Iudæ. & l. fin. C. eod. & per Bull. Pauli IV. incip. Cum nimis absurdum, quæ est in ordine quinta, quam & probauit Pius V. in Bulla, quæ est in ordine etiam quinta, & Greg. XIII. incip. Aliàs piæ mem. quæ est in ordine 71. Ita per hęc Decreta nouæ Ecclesiæ Christianorum in Statu Veneto, sine licentia Senatus ædificari non possunt. Postremò sicut Iudæi bona stabilia habere prohibentur, vt habetur in ead. Bulla Pauli IV. & approbata ab eod. Pio V. & Greg. XIII. Et ab eisdem etiam cautum, ac prohibitum, ne bona ipsis relinquantur, & ne à Christianis hæredes fiant per cit. Bullam Pij IV. Ita ne Ecclesijs, alijsuè pijs locis stabilia relinqui, & acquiri liceat, vel acquisita post biẽnium retinere, his decretis prohibitum est. Quæ omnia à Christiana religione alienissima omninò sunt cùm Eccl. personæ, quasi in Iudæorum numero habeantur, & velut Synagogæ reputentur ipsæ Ecclesiæ, hæc .n. absurdissima sunt, ergo omninò euitanda, l. nam absurdum, ff. de bon. libert.

Decretis igitur his nullis existentibus; iam ad rationes

eorum reſpondeamus, qui contrarium probare conati ſunt. Et quoniam tres Iuriconſulti ſunt, quorum primus eſt Marcus Antonius Pelegrinus; ideo eius rationes primò proponam, ac ſigillatim ad ipſas reſpondebo, eorundem ordinem ſeruaturus in reſpondendo ad aliorum argumenta; jam igitur rem aggrdiamur. Præmiſſo prius communi horum trium Iuriſconſultorum argumento, ad
5 quod eorum rationes omnes pertinent, † illud autem tale eſt.

Cenſuræ latæ in Venetos, eorumq; ſtatum, ſunt latæ ob Decreta hæc.

Primò, quoniam prohibitum eſt laicis ſui ſtatus, ne ſtabilia in Eccleſiaſticas perſonas alienent ſine licentia.

Secundò, ne noua Monaſteria, nouęq; Eccleſiæ abſq; licentia Principis ædificentur.

Tertiò, quòd iudicant, atq; coercent Eccl. perſonas pro criminibus grauibus, & atrocibus.

Ergo Cenſuræ latæ ſunt ob Decreta iuſta, & valida.

Ergo Cenſuræ latæ à Paulo V. in Senatum, ac Statum eius iniuſtæ, ac nullæ ſunt. Hoc eſt, quòd moliuntur hi Jureconſulti.

Verùm, quòd tota vis huius argumenti pendet ab illo fundamento, quòd Decreta hæc iuſta ſint, ac valida, ob eam rem hęc probare conantur, & prius primum Decretum, ac deinceps reliqua, vt videbimus in ſeq.

De Re-

De Responsionibus, quibus tolluntur, & improbantur rationes Marci Antonij Pelegrini, & aliorum duorum Iurisconsultorum asserentium per ipsas, Decretum Senatus Veneti de non alienandis stabilibus in Ecclesias, & alia loca pia validum, & iustum esse. Cap. VI.

S V M M A.

1 *Argumentum primum Marci Antonij Pelegrini quodnam sit.*
2 *Princeps secularis, esto potestatem habeat à Deo legis condendæ, intelligitur tamen, modo lex iusta sit.*
3 *Princeps laicus non potest disponere de personis, & rebus subditorum ad arbitrium suum, sed secundum iustitiam.*
4 *Cap. 8. lib. 1. Reg. quomodo accipiendum sit.*
5 *Princeps laicus sine causa non potest suis subditis res suas auferre.*
6 *Decretum Principis Venetorum De non alienandis stabilibus in Ecclesias, & cæt. disponit etiam de personis sibi non subiectis, idest, de Eccl. personis.*
7 *Correlatiuorum natura est, vt vno posito, aliud etiam necessariò ponatur.*
8 *Principale immediatum in vnaquaq; dispositione semper inspiciendum est.*
9 *Ex æquipolentibus nihil interest quid fiat.*
10 *Rationis natura est, vt quoscumq; ipsa pertinet, eosq; & dispositio pertineat.*
11 *Lex non est imposita verbis.*
12 *Ratio vbi vna tantùm reddi potest, pro expressa habetur, etiam si non apponatur.*
13 *Decreto hoc inhabilis fit Christus Dominus stabilium in Statu Veneto.*
14 *Decretum hoc non est pro bono regimine Status Veneti.*
15 *Decretum hoc est contra tertiam speciem Libertatis Eccl.*

§. His

I.

§. HIs breuiter præmissis, iam ad rationes respondeamus Marci Antonij Pelegrini, qui est in ordine primus. Et quoniam pluribus rationibus conatur probare, Decretum Senatus Veneti de non alienandis stabilibus in Ecclesias, iustum, ac validum esse, ob eam rem ordinatim eas ponemus, & sigillatim ad eas respondebimus. † Prima igitur ratio ipsius hæc est.

1 Princeps Reipublicæ Venetorũ est Princeps secularis.

Ergo pro bono regimine sui status potestatem habet à Deo legis condendæ, c. si Imperator, iunct. gloss. dist. *96.* cum alijs cit.

Ergo pro bono regimine habet potestatem legibus latis disponendi de personis, & rebus sui status, vt habetur lib. 1. Reg. cap. 8.

Ergo pro bono regimine sui status potuit decretum facere, ne laici subditi immobilia in Ecclesias, & alia pia loca transferant.

Ergo Decretum hoc sic factum à Principe valet.

Hæc est prima ratio ab hoc Iureconsulto reddita, quæ tamen nulla est.

Nam primò, † etsi Princeps laicus potestatem à Deo
2 habeat legis condendæ, negatur tamen, ipsum cum alterius iniuria, & iurium vsurpatione leges condere posse. Tùm quòd lex iusta esse debet, c. erit autem lex, dist. 4. etenim clamat Sapient. cap. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, & in Prouerb. cap. 8. dicitur, Per me regnant Reges, & legum conditores iusta decernunt. Tùm quòd forma gubernãdi, quam per Moysem dedit Deus; & à Rege constituto seruari voluit, non est cum iniuria alterius, seu vsurpatione rei alienæ, sed iustitia seruata, sic .n. dicitur in Deuteronom. cap. 17. Postquàm autem sederit in solio Regni sui (dicitur enim ibi) describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accippiens exem-

exemplum à Sacerdotibus Leuiticæ tribus,& habebit secum; legatq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba,& cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt; Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partem dexteram, vel finistram, vt lõgo tempore regnet ipse,& filius eius super Israel. Hæc ibi: ex quibus patet, Principes,atq; Reges,qui dominantur, etsi habeant potestatem à Deo, eam tamen secũdùm iustitiam, & legem Dei exercere ipsos debere. Quod dictum depromptum ex cit.cap.17.proposuit Regibus, ac Principibus ob oculos habendum Ioannes Boterus etiam in suo Tractat.inscripto, Della Ragion di Stato lib.2. sub cap. Della Religione. Eadem admonuit Deus etiam Iosue cap.1.illis verbis, Confortare igitur,& esto robustus valde, vt custodias,& facias omnem legem, quam præcepit ibi Moyses seruus meus; nec declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, vt intelligas cuncta, quæ agis: non recedat volumen huius legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ in eo scripta sunt; tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Hæc ibi Deus.

Cum igitur, secundùm iustitiam, ac legem Dei leges condere Principes debeant; ergo decretum hoc à Principe Veneto latum non valet: Nam adimit sua iura Ecclesiæ, & tertiam speciem libertatis eccles. violat, per quam Eccl. personæ cuiuscunq; generis,bona etiam stabilia iusto, ac legitimo titulo acquirere possunt, vt probaui supra cap.1. §.4. Hoc autem est contra iustitiam. §. Iuris præcepta; in Instit. De iust.& iur.& l.1.& l. iustitia, ff.eod. Est etiam contra septimum præceptum Decalogi à Deo latum, quò vsurpatio iurium alterius quacunque ratione prohibetur; iure meritò igitur ratione hac Decretum hoc non probatur.

3 Secundò † quòd dicitur, Principem posse disponere,

seu suis legibus afficere personas, ac res sui status. Hoc verum quidem est, sed id etiam intelligitur dummodo iustè, ac legitimè id faciat; non enim potest de ipsis dispo nere ad arbitrium suum, & contra ius, ob rationes proximè allegatas.

4 Nec † pro eius sententia facit, quod habetur lib. 1. Reg.cap.8. allegatum ab eodem Iureconsulto; Hoc erit ius Regis (dicitur enim ibi) qui imperaturus est vobis filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, &c. agros quoq; vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, & quæ ibi sequuntur. Non inquam, illud facit quicquam; quasi liceat Principi pro suo arbitrio facere, quæcũque velit; nam idcirco dixit Deus illa Samueli, vt referret eadem populo, qui nolebat secundum legem Dei ambulare, & Regem postulabat, quò populus sciret, se Regem habiturum, qui ad suum arbitrium, & per fas, & nefas de personis, ac rebus disponeret; & quòd Reges aliquando sic faciunt; vt populus de his rebus admonitus, à Regis petitione desisteret. Non autem dixit Deus, quò significaret, Regem posse de personis, ac rebus subditorum ad arbitrium suum disponere. Id, quod hinc probatur, quod lib.3. Reg.cap.21.& refertur in cap.conuenior 23.q.8. Deus grauiter in Achab Regem affectus fuit, & eius vxorẽ morte graui puniuit, quoniam voluit habere vineam Naboth, contra eius domini voluntatem, esto pretium ei dare vellet. At si liceret Regi ad suum arbitrium auferre, & disponere de rebus subditorum, neq; Rex peccasset, neq; vxor eius morte affecta esset; qui enim permittente lege facit aliquid non peccat. l.Gracchus C.de adult.& ca.qui peccat. 23. q.4. Non igitur erat, cur allegaretur locus ille, & præsertim ob ea, quę supra citaui.

5 † Hinc inquit Inno. quem refert, ac sequitur Abb. in cap.quę in Ecclesiarum num.8. de constit. non posse Principem sine causa, dominium rei

meę

meæ mihi adimere; quādoquidem iurisdictionem super subditos habet, non autem dominium rerum priuatarũ idem asseruis Archid. in cap. per principalem. 9. q. 3. & facit l. venditor, §. si constat. & ibi Paul. de Cast. C. cõmunia præd. Idq; meritò; non enim Regnum propter Regem, sed Rex propter Regnum factus est, & dominia rerum sunt de iure gentium, vt asseruit Archid. ibidem. Esto igitur potestatem habeat Princeps Venetorum disponendi de personis, ac rebus sui status, intelligitur tamen, iustitia seruata, quæ cùm in hoc decreto desideretur, ex quo libertas Eccl. offenditur, & ius diuinũ, ac Pontificium; decretum hoc fieri non debuit, & factum nõ valuit; addito hoc, quòd contra iusgentium est, §. per traditionem quoq; in Instit. De rerum diuis.

6 Tertiò † negatur hoc decreto disponi tantum de personis, ac rebus sui status, idest sibi subiectis. Nam immò, & de personis exemptis, idest, de personis Ecclesiasticis disponit; ex quò enim prohibet, ne laici sua bona immobilia, seu stabilia vllo modo ad Ecclesiasticas personas, piaq; loca transferant, simul etiam prohibet Ecclesijs, & Eccl. personis, ne ea accipiant; nam prohibita venditione, & emptio prohibita esse censetur l. 1. & ibi Bar. C. de cupress. lib. x. & vbi vni prohibetur, ne vendat; & alteri ne emat, prohibitum etiam censetur, vt dixit Abb. in
7 ca. cùm contingat n. 6. vers. sicut enim, de iureiur. † Idq; ob naturam correlatiuorum; posito enim vno alterum necessariò ponitur, & dispositio facta in vno, in altero etiam locum sibi vindicat. l. fin. & ibi Ias. ac DD. C. de indict. iud. toll. & Glos. in Clem. in verb. Eternaliter, de sum. Trinit. & fid. cathol. Euerard. in loco, à Correlatiuis, & Abb. in eod. cap. cùm contingat num. 6. At de personis Eccl. & de locis pijs disponere Princeps laicus nõ potest; sunt enim ab ipso exemptæ, vt habetur in toto ferè tit. de for. comp. & vt supra probauimus. Ergo dispositio illa, ac Decretum non valet in subditos enim iurisdictio

exerceri debet, alioquin dispositio nulla est l.fin.ff.de iurisd.omn. iud. & cap. fin. de constit.lib. 6. & facit cap. à nobis 1.de sent.excom.in antiq.& C.si à non comp. iud.

Nec repugnat,quod dicitur,Verba Decreti directa esse in laicos,& non in Eccl.personas;hoc.n.nihil est.† Pri-
8 mò, quoniam in vnaquaq; dispositione inspicitur semper id,cuius gratia dispositio illa principaliter,& immediatè fit cap. cum voluntate,de sent. excom. l. si quis nec causam ff.si cert.pet. At prohibitio facta laicis primò per se, ac immediatè fit propter Eccl.personas,nè scilicet, ad ipsas bona stabilia trasferantur; ergo multo magis ipsis personis Eccles. prohibitio facta esse censetur; propter quod enim vnumquodq; est tale,& illud magis est tale; arg.auth.multò magis,& ibi Bald.& Paul.de Cast.C. de sacros. Eccl.& Clem.vnic.vnct.gloss.in verb.Profectò,de reliq.& vener.sanct.& ibi not.Card.& Euerard.in loco à minori ad maius. Præterea, prohibitio facta laicis, nè stabilia ad Eccl. personas vllo titulo transferãt, aut ęquipollet huic, Ecclesiasticæ personæ stabilia à laicis non accipiant, nec consequantur;aut illi, Eccl.personæ bona stabilia à laicis accipiant, & consequantur; de quolibet enim est affirmare,vel negare;at,ad hoc secundũ dictum trahi non potest;ergo primo ęquipollere,necessariò concludendum est, ergo & Eccl. personis prohibitio facta
9 est; † nihil enim interest, quid ex æquipollentibus fiat l. mulier ff. ad Trebell. l. si mater, & ibi Gloss.C.de instit. & substit. Euerard. in loco Ab æquipollentibus. Tertiò facit cap.fin.de immun.Eccl.lib. 6. ibi enim prohibitum erat laicis,ne quicquam emerent, vel venderent clericis, & sic prohibitio erat facta laicis, vt hic; & tamen nõ valuit, ex quò per consequentiam, & de Ecclesiasticis disponebat; ergo neq; hæc. Nec facit, quòd ait hic Iureçõsultus Patauinus; speciem diuersam ibi ab hac esse. Nam primò, forma prohibendi eadem est; quæ hic. Item eadem ratio nullitatis;quia,scilicet,contra libertatem Eccl.

quæ

quæ ratio in primis attendenda est; ipsa enim anima legis est l.scire leges.ff.de leg. & cap. consuetudo d.1. † Et quousq; ratio legis pertinet, eousq; dispositio (vel casus singularis in lege expressus sit) l. pen. §. pen.ff.de iur.& fact.ignor.& nō inspicitur facti decisio, sed ratio decisionis.Ex quo igitur forma prohibitionis cit.cap.fin.conuenit cum forma huius Decreti, & causa nullitatis eius dispositionis eadem,quæ in casu nostro, quia, scilicet, contra libertatem Eccl.est;meritò, sicut dispositio illa nō valuit,ita nec decretum hoc valere debet; vbi enim eadem ratio est,ibi eadem dispositio esse debet ca. cum dilecta, de confirm. vtil. vel inutil. & l. illud. ff. ad legem aquil.

10

11 † Postremò, si ad quos verba dirigantur, inspiciendum esset, & non id, cuius gratia dispositio immediatè principaliterq́, fit,lex esset imposita verbis,& non rebus; cū totum contrarium esse debeat cap.commissam,de elect.lib. 6.& l.non dubium.C.de leg.etenim non verba, sed mens legislatoris inspicienda est,& cuiuscunq; agentis,ca.prӕterea, & ibi Gloss. de verb. sign. & tot. tit. C. plus valet, quod agit.& l.3.§.conditio legati,cū simil.cit.ibi à Gloss. ff. de adim. leg. & §. nostra autem in Instit. de legat. etenim nihil interest quo cum loquamur, & ad quem verba dirigantur; l.cùm pater. §. donationis. ff.de leg. 2. Hinc Anchar.in cap.canonum, de constit.inquit, statutum annullando contractum, satis videri prohibere contrahentibus,ne attentent contrahere,& prohibita re alienari,& personas prohibitas censeri alienare, vt dixit Abb. in ca. cùm contingat num.6. vers.item re prohibita,de iureiur. & interdicta Ecclesia,interdictum esse censetur personis, ne in ea celebrent, cap.si ciuitas §. ratione, & cap. is, qui §.1.de sent. excom. lib. 6. esto in cit.casibus personarum mentio nulla fiat. Non igitur ratio hæc quicquam facit. Postremò dico, nec laicis subditis potuisse alienationem hanc prohiberi, tùm ob naturam correlatiuorum, quam proximè dixi, tùm quòd valet argumentum à per-

ſona ad rē, l. qui furere. ff. de ſtat. hom. & l. ſi quis inquilinos §. ſi ita legatū. ff. de leg. 1. & l. ſi quis filio exheredato. ff. de iniuſt. & rupt. teſt. & gloſſ. in l. cū quid. ff. ſi cert. pet. cum ſimil. At prohiberi ſtatuto laicorum non poteſt, ne laicus clericus fiat, vel in aliquam religionem ab Eccleſia approbatam, ingrediatur, vt habetur apud Trid. Syn. ſeſſ. 25. cap. 18. de regul. & ſic ne ſe obliget Deo; ergo neque etiam prohiberi poteſt, ne ſtabilia Eccleſijs, ac Deo relinquat, ſicut neq; etiam quod alia pia opera faciāt arg. cap. venerabilibus. §. pen. de ſent. excom. lib. 6.

12 Addo † Decretum hoc non ſolùm Eccl. perſonis prohibere, ne ſtabilia in ſtatu Veneto acquirāt, verùm etiam & Chriſto Domino id ipſum vetare; nam, vt probaui in Tract. De Iuſt. & Valid. Mon. & ſupra retuli cap. 2. §. 3. quicquid acquirunt Eccleſiæ, & alia pia loca, Deo acquirunt quoad Dominium; ex quò igitur decernitur, ne laici ſubditi ſtabilia vllo titulo ad Eccleſias, & loca pia transferant; ſimul etiam prohibetur, ne in ſtatu Veneto Chriſtus Dominus ſtabilia conſequatur, qui .n. eſt cauſa cauſę is cauſa cauſati dicitur, l. manumiſſiones. ff. de adopt. Hoc autem non minùs iniuſtum, quàm impium eſt.

Nec repugnat, ſi dicatur, in Decreto nullam mentionē Dei fieri. Nam, cùm par virtus taciti, & expreſſi ſit, l. cum quid ff. ſi cert. pet. etſi nulla mentio Dei expreſſa fiat, perinde tamen habetur, atq; ſi expreſſio facta eſset, ex quò bona Eccleſijs relicta, Deo tantùm quoad dominium acquiruntur.

13 Etenim † vbi vna ratio tantùm reddi poteſt in aliqua diſpoſitione, ſi omittatur, pro expreſsa tamen habetur, ita Iaſ. in l. quamuis num. 6. C. de fideicom. & l. de quibus num. 18. ff. de leg. Et exheredatio, quamuis nominatim facienda ſit l. 1. ff. de lib. & poſth. valet tamen ſimpliciter facta de filio, vbi filius vnus tantum extat, l. nominatim ff. eod. Ex his igitur apparet, & de non ſubditis Decretū co eſse, & idcirco nullum exiſtere.

Nec

Nec repugnat etiam si dicatur, Ergo nec statutum valebit prohibens, ne in laicos alterius iurisdictionis stabilia alienentur, quod tamen valere D D. concludunt. Nam dicimus, quod diuersa ratio est à casu nostro; laici enim alterius iurisdictionis, ratione contractus, ac rei, subditi fiunt l. 2. ff. de iurisd. omnium iud. cap. dilecti, & cap. fin. de for. compet. cum simil. At hoc non contingit in Ecclesijs, & in Eccl. personis, ex quò nec volentes Eccl. personæ laicis se subijcere queunt, cap. si diligenti, de for. compet. Non ergo decretum hoc valet, ex quò & de non subditis latum est.

14 Postremò † negatur etiam, Decretū hoc ꝓ bono regimine status Veneti latum esse. Tùm quòd per ipsum Eccles. personarum, & Ecclesiarum iura vsurpātur, & libertas Eccl. violetur, & idcirco suam iurisdictionem egreditur contra, l. fin. ff. de iurisd. omnium iud. & c. fin. de constit. lib. 6. & ex præmissis antea probatū est. Bonū autem hoc regimen à bono Principe Christiano quomodo dicatur, non video. Tum quòd per ipsum Diuinus cultus impeditur, & diminuitur, qui augeri potius debet, c. ex parte Episcopi, de consti. nam in Ecclesijs, vbi opes multæ sunt, ibi & plures Eccles. personæ, ac sacerdotes viuunt, quamobrem pro viuis, atquè defunctis missę sacrum frequentius faciunt; septem horarum canonicarum pręces, aliaq; diuina officia diù, noctuq; celebrant; sacramenta conferunt; Christi fideles in doctrina Christiana erudiūt; verbum Dei prædicant. Hæc enim pręcipua sacerdotum munera sunt, vt declarauit Catech. Roma. in Tit. De Sacram. ordin. vers. Præterea in sacerdote ea cognitio. Item pauperibus pluribus subuenitur, & necessitatib. etiā Ecclesiæ, vt pote, contra hæreticos, & alios Christianæ religionis hostes. Item pro mittēdis legatis ad diuersos Principes viros, interseq; conciliandos, quamobrem etiam factum est, vt Ecclesia (quod etiam alibi dixi) stabilia sibi relicta non alienet, ob maiorem vtilitatem, vt habetur in

cap.

cap. futuram 12. q. 2. & in cap. videntes, & in cap. expedit. ead. q. 1. Quæ, vbi facultates non suppetunt, nec frequenter, nec commodè fieri queunt. At ex quo, ne stabilia in Ecclesias, atq; loca pia alienentur, hoc decreto prohibetur, meritò, & facultatum, & diuinorum officiorum copia plurima impeditur. Quod cũ ita sit, qua ratione, Decretũ hoc pro bono regimine status dici potest, vbi diuinus cultus impeditur? vbi enim Christus fundamentum non est, ibi superædificari non potest c. cum Paulus. 1. q. 1. & vt inquit Regius ille Propheta, Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam; Hinc, alibi inquit Deus, Per me regnant Reges, &cæt. Religio .n. qua Deus colitur, est ars illa Architectonica regendarum Rerumpublicarum, & non ea, quam politici quidam sibi confixerunt, existimantes, omnia ipsis licere, non habito respectu, an æqua, iniquaue sint, vnde Regna perdunt, & miseros populos in perditionem adducunt. Tùm denique negatur alia ratione, Decretum hoc esse pro bono regimine status; nam per ipsum impediuntur Christi fideles, ne stabilia Ecclesijs, Monasterijs, & Hospitalibus vllo titulo, neq; etiam pro eleemosyna condonent, qua eleemosyna præcipuè peccatorum pœnæ expiantur, iux. illud, Peccata tua eleemosynis redime, & illud aliud, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Prohibitio igitur facta per hoc decretum impedit modum hunc redimendi peccata mirum in modum Deo placentem, & idcircò salutem animarum. Quod cũ ita sit, quomodo pro bono regimine Status Decretũ hoc factum esse dici potest, ex quo contra salutem animarum est, quæ omnibus humanis rebus anteponenda est? Quid enim, inquit Dominus, prodest homini, si vniuersũ mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Quare, cum ex iam dictis constet, Decretum hoc disposuisse de ijs, quæ extra iurisdictionem disponentis sunt.
15 † Item, esse contra libertatem Eccl. & diuinum cultum,

ac salutem animarum, iniustum, atq; nullum esse, concludendum est. Sed iam alteram rationem aggrediamur.

S V M M A.

1 Argumentum secundum Iurisconsulti eiusdem quodnă sit.
2 Dictum Doctoris debet intelligi secundum legem, quam allegat.
3 Consuetudo contra libertatem Eccl. non valet, nec statutum.
4 Lex Principis laici praeiudicium graue faciens Ecclesiae, non valet, nisi expressè probetur à Papa.
5 Ecclesia non vult locupletari cum alterius iactura.

I. I.

1 §. † SECVNDÒ probatur Conclusio hæc ab eodem Iureconsulto hac ratione.

Prohibitio alienationis bonorum potest fieri Iuregēt. & morib. Ciuitatis, idest, induci consuetudine; necnon à Iudice, vt habetur in l. si in emptione, §. omnium, ff. de conth. empt. & l. de pollicitationibus, in fin. ff. de pollicit.

Ergo & Decreto Principis laici in suo statu,
Ergo & à Principe Senatus Veneti,
Ergo Decretum hoc valet.

2 Hæc ratio nihil etiam facit † Primùm, quoniam dictum Doctoris debet intelligi secūdum legem, quam allegat, vt dixit Bart. in l. non solùm, §. si liberationis verba. ff. de lib. leg. At iuribus allegatis nō prohibetur alienatio stabilium in Ecclesiam, locaq; pia; nullum .n. de hoc verbum ibi fit. Ergo nihil ad rem nostram pertinet.

Præterea in cit. §. omnium, vbi dicitur, mores Ciuitatis eximere à cōmercio res; si obid, quòd indefinitè lex loquitur, velimus, exemptionem illam ad Ecclesias per-
3 tinere, nihil etiam facit † Nam illa verba, Mores Ciuitatis, aut volumus accipere pro statuto, seu lege, aut pro cō-

suetudine; At in quamcunq; partem accipiantur, opinionem Doctoris non probant. Non, si pro statuto, seu lege. Tumquòd hęc est quęstio nostra, & idcircò ratio esset eadem cum dicto, quamobrem nihil probat. Tum quòd ex quò præiudicium grauè Ecclesijs facit, & à Papa statutũ
4 probatum non est, non valeret; † nam communis DD. sententia hæc est, de qua testatur Abb. in cap. Ecclesia S. Mariæ nu.9. de constit. legem Principis laici præiudicialem Ecclesijs, ad Ecclesias non extendi, nisi expresse probetur à Papa; Non etiam facit, si pro consuetudine accipiamus, quandoquidem, & consuetudo præiudicium faciens Ecclesiæ, non valet cap. 1. & ibi Gloss. ac DD. de consuet. Accedit, quòd laicorum consuetudines, qualis est illa, sicut eorundem leges, non prænalent canonicis constitutionibus, sed ipsis subiectæ sunt c.1. de oper. nou. nunc, & cap. Euphemium, §. ea verò 2.q.3. Etenim potestas laica inferior est potestate Eccl. vt habetur in Extrauag. vnam sanctam, de maior. & obed. ergo cõsuetudo illa pręiudicium facere non potest Eccl. libertati. Non obstat igitur §. omnium.

Postremò nihil facit etiam cit. l. de pollicitationibus; nam ibi mandatur iudici, vt prohibeat cuidam alienationẽ fundi, si quẽ habebat in territorio, ob id, quod ille debitor erat Ciuitatis, & in trienniũ relegatus erat; quamobrem si fundum vendidisset, prætiumq; secum tulisset, nihil erat deinceps, vnde Ciuitati satisfieret; & idcircò in damnum eius id redundasset. Hinc Gloss. inquit ibi, prohibitionem illam esse ad instar missionis in bonorum possessionem; vel, vt ait Bart. ibid. ad instar sequestrationis ob æs alienum: At statutum Senatus Veneti non prohibet, ne in Ecclesias bona debitorum alienentur in damnum creditorum: sed generaliter, ne vlla stabilia in ipsas laici subditi transferant. Non ergo quicquam facit pro sua opinione. Addo neq; etiam acquirere velle Ecclesiã bona creditoribus obligata, seu quibus creditoribus sa-

tisfic-

9 dissiceret, † quandoquidem Ecclesia cum alterius iactura locupletari non vult, arg. c. filius, de testam. & c. fin. 17. q. 4. cum simil. Quare esto, prohibitio huiusmodi bonorum statuto facta non esset, ea omnino Ecclesia respueret. Non igitur ratio hæc cõcludit, iam ad tertiã transeamus.

SVMMA.

1 *Argumentum tertium huius Iurisconsulti quodnam sit.*
2 *Laicus potest alienare in laicum quocunq; titulo id, quod in Ecclesiam alienare non vult, non autem id potest statutum, & quamobrem.*
3 *Prohibitio facta à persona priuata, ne bona in Ecclesias alienentur, quare admittatur ab Ecclesia, non autem facta à statuto.*
4 *Ecclesia non vult rem alienam inuito domino.*
5 *Ecclesia permittit Monasterium ingresso, vt sua bona relinquat, cui velit; etsi professionem non emittat, vult omnia ei restitui, quæ in Monasterium detulit.*
6 *Priuata persona prohibens, rem suam in Ecclesiam alienari, non vsurpat iurisdictionem Ecclesiæ, secus autem, qui statutum facit, ne stabilia ad Ecclesiam transferantur.*
7 *Contractus emphiteuticus, & feudalis ab Ecclesia probatur.*

III.

1 § † TERTIÒ probatur Conclusio hæc ab eodem Iureconsulto hac ratione.

Disponere, ne immobilia laicorũ transeant ad Ecclesias, & loca pia est id, quod minus videtur licere priuatæ personæ, quàm publicæ, idest, Principi laico, & tamen priuatæ personæ licet, l. fin. C. de pact. inter empt. & vendit.

Ergo multo magis Principi laico id licet; plus .n. potest iussio Principis, quàm priuatorum actio; & potentius est ius constitutionis, quàm pactum; auctoritatibus ab eodem allegatis.

Ergo decretum hoc licitum est, & validum.

Hæc eſt tertia ratio, quæ tamen propoſitam concluſionem non probat; nam argumentum à minori ad maius non valet, vbi ius reſiſtit maiori, non autem minori, vt aſſeruit Euerard. in loco A minori, ſeu fortiori, verſ. Item multi poſſunt maiora; & vbi ratio, quæ concedit aliquid minori, non adeſt in maiori, ſicut in caſu noſtro cõtingit.

2 Nam † ecce primò, priuata perſona poteſt vendere, & quocunq; alio titulo transferre rem ſuam in laicũ, quam tamen nullo titulo in Eccleſiam tranſire vult; non enim hoc ei prohibitum eſt, ergo, arg. l. ab ea parte, ff. de probat. & l. nec emere, C. de iur. delib. Per ſtatutum verò id fieri nequit, quoniam id prohibitum eſt, vt habetur in c. fi[illegible] de immunit. Eccleſ. lib. 6. ibi .n. ſtatutum nullum redditur, & ſtatuentes puniuntur, qui ſtatuerant, ne quis venderet Eccl. perſonis, vel, ne quis ab eis emeret, ergo mirandum non eſt, ſi priuata perſona prohibere poteſt, ne res ſua (cum ipſam alienat) ad Eccleſiam tranſeat; ſtatuto verò id fieri non poſſit, vt in caſu noſtro. Idq; iure meritò; nam prohibitio facta à perſona priuata de iure gentium eſt, quo iure in re ſua quiſq; eſt moderator, & arbiter, l. in re mandata, C. mand. & §. per traditionem, in Inſtit. De rer. diuiſ. at prohibitio facta per Decretum hoc, de iure ciuili eſt, & contra ius gentium, ex quo prohibet dominis, ne ſua bona ſtabilia in cauſam tàm piam, ac iuſtam transferant; fortior autem, ac potentior prohibitio eſt de iure gentium, quàm quæ de iure ciuili, arg. §. ſed naturalia, in Inſtit. De iure nat. gent. & ciuil. Addo, Principem non eſſe dominum rerum priuatorum, ſed ſolum habere iuriſdictionem; & idcirco non poteſt in præiudicium Eccleſiæ de ipſis diſponere, ſicut is, qui dominus eſt. Ex quò igitur diuerſa ratio inter hos caſus eſt, & diuerſum ius ſtatui debet, arg. ſumpto à contrario ſenſu à l. illud, ff. ad leg. Aquil. & c. cùm dilecta, de confirm. vtil. vel inutil. nam & quod operatur propoſitũ in propoſito, operatur oppoſitũ in oppoſito, l. fin. §. fin. ff. de leg. 3.

Præte-

3 Præterea † alio modo probatur, diuersam esse rationem in statuto, atq; in dispositione priuata. Nam Ecclesia idcirco admittit prohibitionem factam à priuato alienationis rerum suarum in Ecclesiam; nō autem prohibitionem factam à statuto; quoniam in primo casu, si eam non admitteret, contingeret, ipsam habere rem alterius
4 contra domini voluntatem; At †. Ecclesia, quæ est iustitiæ cultrix, non vult rem alienam inuito domino, arg. c. denique, 14. q. 5. & c. filius, de testam. Tum quòd his Deus nō colitur, c. immolans, & c. scriptum est, ead. q. 5. & per tot. Tum quòd neq; salus animæ comparatur dari
5 ti contra suam voluntatem. † Hinc ei, qui Monasterium ingressus est, ante professionem eadem permittit, vt cui velit, sua bona renunciet; & si non profiteatur, iubet, vt omnia, quæ ad Monasterium detulit, restituantur eidem, vt habetur apud Trid. Synod. sess. 25. de regul. cap. 16. Id, quod non ob aliam rationem fit, quamquòd inuito domino Ecclesia nihil acquirere vult, atq; intendit. Bona igitur Ecclesia vult, quæ legitimè sunt ei relicta, & non aliàs, vt ait Fred. de Sen. in cons. 85. vers. Non obstat.

At in secundo casu non acquirit cōtra voluntatem domini, meritò igitur non admittit prohibitionem factam per Decretum; quippe, quia impediretur Ecclesia, ne acquireret à volentibus stabilia ei dare, quod Deo gratissimum est; quandoquidem Diuinus cultus magis augetur, & ob id etiam saluti animarum consulitur; mirum igitur non est, si dispositio priuata valet; non autem publica, idest statutum, ac Decretum.

6 Postremò † alia ratione differunt inter se; nam priuata persona prohibens alienationem talem, nō vsurpat iurisdictionem Ecclesiæ; nec violat Libertatem Eccles. sed vtitur iure sui dominij, iux. cit. l. in re mandata, C. mand. & §. per traditionem quoque in Instit. De rer. diuis. At Princeps laicus, qui dominium non habet rerum suorum subditorum, sed solùm iurisdictionem, eamq; coarctatam,

tam, ne Ecclesiam lædat, & ne contra iustitiam faciat; vt asseruit pluribus Abb. in c. nimis, num. 1. de iureiur. si statuto alienationem stabilium prohibet, iura Ecclesiæ vsurpat; violat .n. tertiam speciem Libertatis Eccles. ex quò priuat Ecclesiam iure acquirendi stabilia, quod habet, non solùm iure diuino, vt supra diximus, verũ etiam & de iure gentium, cit. §. per traditionem quoq; Iurisdictionem etiam in personas sibi non subiectas, idest Eccl. exercet. quod etiam supra probaui; quæ omnia reddunt Decretum ipsum nullum, l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. & c. fin. de constit. lib. 6. & c. fin. de immunit. Eccl. eod. lib. quæ quidem in priuata persona cessant, vt dixi ergo. Hinc Bald. in cit. l. fin. C. de pact. inter empt. & vend. inquit, Statuta huiusmodi presumi facta in derogationem Libertatis Eccl. non autem pacta priuatorum, & sequitur eum ibi Barbat. in Add. qui cit. etiam Inn. vt ibi. Hinc tolluntur duo argumenta Othelij alterius Iureconsulti, scilicet, secundum, & tertium, & primum Ioachini Scayni tertij Iureconsulti, quorum argumenta sunt eadẽ cum proposito, de pacto priuatorum, & de testatore, habito respectu ad Principem. Hinc soluitur tertia ratio tertij Iurisconsulti asserẽtis, testatorem posse priuare hæredem hac conditione institutum, si Monasteriũ ingressus fuerit, & quędam alia similia; nam non idcircò in Statuto dispositio hæc valet, preterquamquòd Gemin. in c. quamuis, nu. 10. de pact. lib. 6. asserat, tale testamentum non valere contra Bart. Non igitur prædicta ratio quidquam facit.

7 Non obstat etiam, † quod dicitur de bonis emphiteuticis, & feudalibus, in quibus priuatorum pactis obligari recipientes possunt, ne in Ecclesias; locaue alia pia, vel pro animarũ salute transferant: nam preter rationes proximè allatas, quæ & hic sibi locum vendicant; dicimus, quod ex quò contractus emphiteuticus, nec non feudalis, ab Ecclesia recipitur, & probatur, c. fin. de locat. & c. cęterum, de iud. & tot. tit. de feud. cum omnibus qualita-

tibus

tibus suis recipi intelligitur, ac probari, arg. c. ex litteris, de pignor. cum simil. cit. ibi à Gloss. & vt dixit Bald. in l. omnes populi num. 10. ff. de iust. & iu. At natura contractuum horum ea est, vt aliquando vtile dominium ad directũ redeat per lineam finitam, vel mortem, l.fin.C.de iur. emph. & cit. c.fin. locati, de locat. & cit. c.ex litteris, quod non fieret, si ad Ecclesias, & loca pia transirẽt, cùm Ecclesia nũquam moriatur, c.si gratiosè, de rescript. lib. 6. & c.liberti Ecclesiæ, 12.q.2.& sic in damnum domini redundaret, quod Ecclesia nequaquam intendit; esto alia ratione in casu hoc Ecclesiæ consulatur, vt asseruit Ias. in cit. l. fin. num. 91. cum seq. Nec facit, si dicatur, ob alias causas vtile ad directũ dominium venire posse, vt, ob non solutum canonem, vel alienationem factam inscio domino; quòd .n. hæ culpæ sunt, non præsumuntur, l.meritò, ff.pro soc.& l.inter stipulãtem, §.sacram, ff.de verb.oblig. & c. 2. de reg. iur.

At decretum hoc non prohibet alienationem secundum naturam contractus, sed contra ius gentium, contra pias fidelium voluntates, contra Libertatem Eccl. immò contra ius diuinum; quamobrem, & diuinus cultus, & salus animarum impeditur, & pauperibus etiam alimenta adimuntur; non igitur mirandum est, si decretum hoc non valet; factum verò tale in prædictis contractibus validum est. Hinc Statuto prohibente, ne mulier testamentum facere possit, sine consensu propinquorum, ad piam causam tamen testamentum facere posse, non seruata forma statuti, dixit Bald. in l.generali, n.3.C.de sacrof.Eccl. qui & Bart. idem sentientem refert, & hoc ob hanc rationem, quoniam statutum hoc contra Ecclesiam, vel ipsum Deum est. Idem asseruit de statuto prohibente mulierem se obligare sine consensu propinquorum, nam eam nihilominus Ecclesiæ sua bona offerre posse, ait, sine tali consensu. Ad quartam nunc rationem accedamus.

SVM-

S V M M A.

1 *Argumentum quartum huius Iuriſconſulti quodnam ſit.*
2 *Decretum hoc Senatus Veneti diſponit de iure quaſito Eccleſiæ.*
3 *Argumentũ valet ab acquiſitis ad acquirenda, vbi in vtroq; caſu eadem ratio eſt.*
4 *Priuare aliquem iure ſuo eſt pœna.*
5 *Statutum, quo prohibetur, ne bona ingredientium in Monaſteria in ipſa tranſeãt, non valet, niſi probetur à Summo Pontifice.*

IV.

1 §. † QVARTÒ ratione hac Iuriconſultus hic probat, Decretum valere, ſicut etiam Ioachinus Scaynus tertius Iureconſultus.

Decretum hoc prohibet, ne laicorum bona ſtabilia ad Eccleſias, & loca pia vllo titulo transferantur.

Ergo prohibet, & decernit non de acquiſitis, ſed de acquirendis.

Ergo Decretum hoc factum non de acquiſitis, ſed de acquirendis, valet.

Hæc eſt quarta ratio, quæ tamen nihil probat. Primò, quia ratio hęc pro certo habet id, quod omninò negatur, aſſeritur .n. ea, hoc Decretum valere, quòd de rebus acquirendis diſponit; & hoc eſt illud, quod omninò negatur. Quare non valet hoc argumentum, Decretum hoc diſponit de rebus acquirendis, ergo valet, quandoquidem hoc eſt illud, quod in primis negatur.

Pretereà negatur etiam, Decretum hoc diſponere tan-
2 tùm de iure acquirendo, & de acquirendis: † nam immò diſponit etiam de iure acquiſito Eccleſiæ; idq; duobus modis. Primò, quia Eccleſia habet ius acquirendi ſtabilia non ſolùm de iure gentium, ac ciuili, ſicut alij, iux.

§. singulorum, in Instit. de rer. diuis. & l. generaliter, & l. iubemus, C. de sacros. Eccl. verum etiam, de iure diuino, vt probauimus supra in præmissis, & etiam, de iure Pontificio, c. fin. de immunit. Eccl. lib. 6. At decretum hoc prohibens Ecclesiæ, ne stabilia à laicis acquirat, prohibet ei vsum illius iuris acquirendi, seu impedit, quod iam habet, vt per se patet, ergo prohibet etiam, seu disponit de iure acquisito, vt per se patet. Secundò disponit etiam de acquisitis virtute illius iuris acquirendi; nam stabilia deinceps acquisita ab Ecclesia, post biennium decreuit, vt ab ea alienarentur, ita habetur in Decreto, quod hic Iureconsultus refert, quamobrem etiam in hoc Libertatem Eccl. violat, contra c. 1. de immunit. Eccl. lib. 6. vbi simile decretum à laicis factũ fuerat, & improbatum, & ita sensit Bald. in Auth. hoc ius porrectum nu. 4. C. de sacrosanct. Eccl. nam ait, non valere statutum Communis Senarum, quòd Hospitale S. Mariæ teneantur vendere possessionem. Non ergo de acquirendis tantùm Decretum hoc disponit, sed & de acquisitis.

3 † Postremò dato, & non concesso, de acquirendis Decretum hoc tãtum agere, adhuc tamen non valet. Nam, vbi ratio, quæ est in acquisitis, locum habet etiam in acquirendis; id, quod disponitur de acquisitis, & in acquirendis locum sibi vendicat. At ratio, ob quam Decreta laicorum disponere de acquisitis ab Ecclesia, non possunt, ea est, quoniam contra Libertatem Eccl. sunt, vt habetur in cit. c. 1. de immunit. Eccl. quæ ratio etiam locum habet in acquirendis, vt dicitur in cit. c. fin. eod. lib. 6. Ergo meritò sicut disponere, ac decernere de acquisitis Ecclesiæ laici nequeunt, nec etiam de acquirendis; quandoquidem, vbi eadem ratio est, ibi eadem dispositio esse debet, l. illud, ff. ad leg. Aqu. & c. cũ dilecta, de confirm. vtil. vel inutil. licet igitur argumentum summere ab acquisitis ad acquirẽda in casu nostro ob propositam rationem, quod Iureconf. ille negat, & malè, non obstãtibus allegatis, in quibus diuersa ratio est, vt per se patet.

4 Postremò † Decreto hoc, Ecclesiæ, & locis pijs pœna quædam inuritur, immò ipsi Deo, quantùm in ipsis est, qui Decretum fecerunt. Nam per ipsum Ecclesia priuatur iure acquirẽdi, quod habet, vt supra probaui, At priuatio iuris, quod quis habet, pœna est, l. fin. ff. de pœn. Hinc excommunicatus, suspensus, & interdictus; sicut etiam degradatus, & inhabilis ad aliquid factus (quòd iure priuantur faciendi, seu habendi ea, ad quæ habenda ius habebant, c. pen. de sent. excom. & tot. tit. de cler. excom. min. & c. degradatio, & c. fœlicis, de pœn. lib. 6.) puniri dicuntur, pœnæ .n. sunt censuræ; nec non inhabilitates aliæ, ergo Ecclesiæ Decreto isto pęna quadam afficiuntur. At puniri, ac suo iure priuari sine culpa, causanè legitima, quis non debet, neque tunc à quocunque, sed à suo superiore tantùm, aliàs, pœna, ac priuatio, nulla est, c. fin. de constit. lib. 6. & c. à nobis, de sent. excom. in antiq. & l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. & C. si à non compet. iud. Ergo decretum hoc afficere Ecclesias, & loca pia non potest, nec valet, cùm nec culpa, nec causa aliqua legitima sit; quamobrem sic puniantur, ac priuentur, & si adesset, non à laico Principe, sed ab Eccl. iudice priuanda essent, cui subiecta sunt. Non igitur Decretum hoc quicquam facit, ac valet.

5 Nec repugnat, † quòd in aliquibus locis statutum hoc esse, asserit hic Iureconsultus, quo prohibitum est, ne bona ingredientium Monasterium in ipsum transeãt. Tùm quòd adducere inconueniens, non est soluere, l. ratas, C. de rescind. vend. & delicta plura impunitatem non præbent, l. nunquam plura, ff. de priuat. delict. & idcircò de hoc statuto dici potest, quod & de hoc Decreto, scil. non valere, quamuis de facto obseruetur. Tum quòd vel ab Ecclesia, statutum illud probatum est, quod ipsa facere potest; vel statutum tale esse, ignorat; locorum .n. statuta quid facti sunt, & ob id ignorari possunt, c. 1. de cõstit. lib. 6. At in casu nostro Summus Pont. Decretũ hoc non

igno-

ignorat, minus etiam probat; immò censuris propositis omninò ipsum prohibet; ergo ratio hæc à statuto huiusmodi deprompta, nihil facit. Argumentum igitur hoc conclusionem propositam non probat; modò de quinta ratione videamus.

S V M M A.

1 *Ratio quinta huius Iureconsulti quænam sit.*

2 *Prohibitio alienationis rei Ecclesiasticæ, cur à iure Pontificio facta sit.*

3 *Dispositio in Tit. Quod quisq; iur. quando locum habeat.*

4 *Ad Pontificem Max. pertinent iura Ecclesiarum, & bonorum eius.*

V.

1 §. † QVINTA ratio huius Iurisconsulti hæc est. Princeps Eccl.æ constituit, ac decreuit, ne bona immobilia Ecclesiæ in laicos alienentur, nisi prius cõsulto Romano Pont. & nisi in euidentem Ecclesiæ vtilitatem alienatio sit, & seruentur solemnitates.

At, qui hoc tale decreuit de bonis Ecclesiæ, & illud pati debet nempe; vt Princeps laicus decernere possit, ne stabilia laicorum in Ecclesias, ac loca pia transeant sine eius consensu prius requisito; quod .n. ius quis in alium statuit, eodem & ipse in se vti debet, tot. tit. ff. Quod quisque iur. Ergo, & cœt.

Hoc est quintum argumentum, quod tamen & ipsum nullum est.

2 Primò † quoniam Princeps Eccl. idest Summus Pont. iure neminem priuat; non .n. laici ius vllum habent ad bona Ecclesiastica, arg. totius tit. De præben. Nec iniquum quicquam statuit, quãdoquidem bona Eccl. Christi Domini sunt, vt supra probaui, & idcircò nisi ab eius Vicario, qui est Summus Pont. seu de eius licentia (si in

vtilitatem Ecclesiæ alienatio sit, & seruanda seruentur) in laicos alienari nequeunt, vt id pluribus egit Quint. Mandos. in sign. grat. in Tit. Si in euidentem. At Princeps laicus hoc Decreto priuat Ecclesias suo iure, quod est, posse liberè acquirere etiam stabilia, quæ à laicis iusto titulo traduntur, contra libertatem Eccl. vt supra probaui, ac præmisi, & idcircò iniquum ius statuit, ergo meritò Princeps Eccles. Decretum illud facere potuit; contra verò, Princeps laicus decretum hoc facere non valuit.

Præterea, Decretum prædictum factum fuit à Principe Eccl. ne bona stabilia Ecclesię dissipentur ab eis, qui eorum nō habent dominium; non enim Ecclesiastici domini sunt bonorũ Ecclesię, sed Deus, vt dicitur in c. quisquis, ibi Quæ Dei sunt 12. q. 2. & in cap. 1. ead. q. 1. & in cap. cùm secundum Apostolum de pręben. & in cap. cùm ex eo, de elect. lib. 6. vbi & Gloss. notauit in verb. Christi, ac nouissimè Trid. Synod, sess. 25. de reform. cap. 1. & vt ego probaui pluribus id in Tract. De Iust. & Valid. Mon. cap. 3. §. 1. vers. Tertiò, alia solidissima ratione. At decretum hoc à Principe laico factum est, ne laici non aliena bona, sed ne sua alienent; & nō ne ea dissipent; sed ne Ecclesijs ad diuinum cultum, & pauperum etiam subsidium pro suarum animarum salute relinquant, ergo mirandum non est, si constitutiones Pontificis Max. valent, decretum autem hoc Principis laici nullum est.

3 Tertiò non repugnat modo † Tit. ff. quod quisq; iur. locum enim ipse habet, vbi quis iniquum ius contra aliquẽ statuit, vel impetrauit, vt dicitur in eod. Tit. & DD. ibi interpretantur. At in hoc casu Ecclesia nullum ius tale statuit, aut impetrauit, decernẽdo, ne stabilia Ecclesiarum alienentur in laicos, nisi de eius licentia, & in euidẽtem Ecclesiæ vtilitatem, & seruatis solemnitatibus seruãdis, ob rationes proximè redditas, sed iure suo, quod habuit, vsa est; quamobrem nemini iniuriam fecit, l. nullus

ff. de

4 ff. de reg. iur. † Immò Summus Pont. necesse habuit ex officio id facere; nam, cùm bonorum omnium Ecclesiarum administrator generalis sit, & eorumdem tutela, ac cura ad ipsum pertineat, vt dicitur in cap. 1. de immunit. Eccl. lib. 6. & Gemin. & Philipp. Fran. & alij ibi not. & Gloss. in c. ea, quæ: de off. archid. & cap. licet, de præben. lib. 6. & Felin. in cap. 1. num. 4. de treug. & pac. cum multis alijs, & ego in Resp. ad Tract. Septem Theologorũ ca. 1. §. 2. num. 4. meritò debuit decernere, ne inferiores ministri Ecclesiæ ea alienarent, ipso inscio, & contra vtilitatem Ecclesiæ; ex quo ad ipsum in primis eorum reddenda ratio Deo est, quam potestatem non habent Principes laici in bonis subditorum.

Non repugnat, quod dicitur de statuto, quo cautũ est, vt idem ius reddatur personis Eccl. in foro seculari, quod redditur laicis in foro Eccl. tùm quòd statutum illud nullum præiudicium Ecclesiæ facit, vt Abb. ait, ibi & sequit. Dec. Tumquòd non potest esse nisi iustum, cùm Ecclesia nihil iniustum in seculares faciat, quod Decretum hoc Senatus Veneti non facit; ex quo per ipsum præiudiciũ ei fit graue; Et insuper iniustum; ac nullum illud est, eo quod à non competente iudice fit. Ratio igitur hæc nulla est, sicut nec ratio secunda Scayni Tertij Iurisconsulti, quæ eadem est cum hac, ob prædicta; succedit nunc sexta.

S V M M A.

1 *Sexta ratio huius Iurisconsulti quænam sit.*

2 *Vtilitas publica propriè, ac per se quænam sit, & quæ priuata principaliter, ac propriè.*

3 *Clerici dicuntur etiam milites.*

4 *Imperatores plures reportarunt victoriam ob religiosos magis, quàm ob armatos milites.*

5 *Ecclesiasticæ personæ, & tempore pacis, & tempore belli Reipublicæ prosunt.*

6 Pau-

6 *Pauperes non fiunt laici eleemosynarum largitionibus.*
7 *Eccleſiaſticas perſonas mendicare non decet.*

VI.

1 §. † SEXTA ratio Iuriſconſulti huius hæc eſt, qua nititur probare Decretum hoc valere.

Decretum hoc eſt tale decretum, quo Princeps laicus primò plures gentes ſibi ſubiectas, eaſdẽq; diuites habebit. Secundò, & tempore belli, & pacis exiget facilè, ac promptè ab huiuſmodi ſubditis neceſſaria.

Tertiò vtroq; tempore & pacis, & belli, hi ſubditi potenter, atq; honorificè Principi inſeruient. Poſtremò hi ſubditi bonis immobilibus non alienatis in Eccleſiam, ditiores fient, & digniores, atq; conſpicui.

Ergo decretum hoc eſt decretũ, quod pertinet ad vtilitatem Principis, & ſubditorum.

Ergo pertinet ad vtilitatem priuatam, & publicam.

Ergo debet prçualere fauori Eccleſiarum, & locorum piorum.

Hæc eſt ſexta ratio, quam reddit hic Iureconſultus, & eſt eadem cum ſeptima Ioachini Scayni Tertij Iuriſconſulti, quæ tamen nec ipſa illius concluſionem probat. Negatur enim, ob id, quòd Decretum hoc in vtilitatem Principis, & ſubditorum redundat, & idcircò ad vtilitatẽ publicam, & priuatam pertinet, debere præferri vtilitati Eccl. perſonarum, atq; locorum.

2 Nam † quod ſubditi diuites ſint, principaliter, & immediatè vtilitas priuata eſt; quandoquidem ipſi priuati ſubditi, qui habent bona, principaliter, & immediatè vtilitatẽ percipiunt, vt ſentit Bald. in l. 1. §. huius ſtudij, n. 5. in prima lect. ff. de iuſt. & iur. Secundo loco autem res publica, ac Princeps, ita Bald. ibid. & facit §. penult. in Inſt. de ijs, qui ſui, vel alien. iur. quoniam in neceſſitatibus habebunt, vnde neceſſaria accipere poſſint, & ita etiam dixit Bart. communiter recept. in l. 1. num. 25. verſ. Quarto

modo

modo assumitur vtilitas publica, ff. sol. matr.

Quod verò Ecclesiæ diuites sint, quamobrem Sacerdotes plures esse poterunt, qui Deo inseruiant; qui eius diuinas laudes diu noctuquè celebrent; qui sacrificia tam pro viuis, quàm pro defunctis offerant; qui Sacramenta administrent, qui verbū Dei prędicent, vtilitas hæc principaliter, ac per se publica est: priuata verò secundo loco, ita tradidit Bart. eod. nu. 25. ibi enim declarans, quatuor modis vtilitatem publicam sumi, & in primo gradu ponens eam, quæ affert vtilitatem in communi, & in quolibet particolari, inquit, hanc consistere in sacerdotibus, & magistratibus: idq; meritò; nam in Ecclesias potest quis ingredi ad orandum, & ad diuina audienda, Sacramentaq; recipienda; Sacerdotes verò obeunt ea munera, quę proximè dixi; & hæc propriè vtilitas publica est, ac principaliter, secundariè verò priuata. Hinc iuris publici hęc etiam esse dicuntur in cit. l. 1. §. huius studij, ff. de iust. & iur. nam Ius publicum, inquit ibi Iureconsultus, consistit in sacris, & in Sacerdotibus. In sacris, cuiusmodi sunt Ecclesiæ, vt interpretatur ibi Gloss. in verb. Sacris, quamobrem si læsæ sint, quisq; potest pro ipsis agere, & interdicto vti, l. 1. & 2. ff. de interd. seu extraord. act. sicut etiam pro iniuria illata Sacerdotibus quilibet agere potest, l. si quis in hoc C. de Episc. & Cler. & ita Gloss. in eod. §. Huius studij, quam Bald. Castr. & DD. communiter sequuntur.

Ex quò igitur prior vtilitas ex hòc decreto emanans, principaliter, atq; immediatè priuata est, hæc autem posterior proximè dicta principaliter, atq; immediatè publica est; meritò hæc, quæ est Ecclesiæ, priori profanæ præferenda est, ita dixit Bart. in cit. l. 1. num. 26. ff. solut. matr. Cum enim quæritur (ait ibi) vtrum publica vtilitas priuatæ pręferatur, vel etiam vna publica aliæ publicæ. Dic, aut quęritur de prima, & illa præfertur omnibus alijs, vt C. de sacrosanct. Eccl. l. sancimus, & in cap. bonæ

memo-

memoriæ, extra de post. prælat. & supra de religiosis, & sump. l. impensa, quod est notandum ad multa. Hæc ibi Bart. Primam autem illam vtilitatem publicam eod. num. 25. inquit, eam esse, quæ consistit in sacris, & sacerdotibus. Non ergo vtilitas hæc, de qua hic Iureconsultus agit, quæ in primis priuata est, præferenda est Ecclesiæ vtilitati, quæ in primis est publica, vt inquit Bart. cõmuniter recept. argumentum igitur hoc non valet.

Nec facit, quod inquit hic Iureconsultus, subditos diuites in bello vtilitatem afferre, & itidem tempore pacis;
3 † nam, & Ecclesiasticæ personæ vtroq; tempore, & sic, etiam tempore belli, Reipubl. prosunt pro ea, scilicet sanctissima offerendo sacrificia, assiduas preces ad Deũ fundendo, aliaq; diuina saluberimè ministrando. Hinc & ipsi clerici cœlestis aulæ milites dicuntur cap. reprehensibile. 23. q. 8. & valet argumentum à milite seculari ad militem cœlestis militiæ, vt dixit Gloss. communiter recept. in l. milites, ff. de re iud. & Ias. in l. fin. num. 6. C. de
4 iur. delib. † Hinc, vt habetur in Exodo cap. 17. Moyse leuante ad cœlum manus, vincebat Israel; contra verò, eas remittente, superabat Amalec; quamobrem significabatur, Sacerdotum precibus ad Deum fusis, victoriam de hostibus reportari, Moyses enim Sacerdos erat, iux. illud Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius. Hinc annales omnes testãtur, ambos Theodosios victorias de hostibus reportasse potius ob ingẽtem erga Deum, & Ecclesiasticas personas pietatem, quàm ob exercitus armatos, vt dixit Ioannes Boterus in suo Tract. inscript. Ragione di stato. lib. 9. in cap. Del far ricorso à Dio. Hinc etiam Constantinus, & Constans, rempublicam contineri magis religionibus, quàm officijs, & labore corporis, vel sudore, asseruerunt, vt refertur in cap. in qualibet ciuitate. 23. qu. 8. Idq; meritò; Deus .n. est, qui victorias de hostibus præstat, vt dixit Iustinianus ille in l. 1. & 2. C. de off. prætor, Afric. & in §. Quorum vtranq; viam, in Proœm. In Instit.

Hinc

Hinc Dauid ille sanctissimus; Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Auxilium autem diuinum in primis comparatur pijs Ecclesiasticarum personarum precibus, ac diuinis sacrificijs potissimum, quæ piè, ac sanctè à Sacerdotibus offeruntur. Et Ecclesiasticæ personæ igitur in primis tempore belli Reipubl. opem ferunt.

5 Postremò † Ecclesia suis opibus etiam auxilium fert Principibus Christianis contra Christianæ religionis hostes. Testor ad hoc Principes Christianos omnes. Testor ipsam Venetorum Rempublicam, quibus Decimas sæpius Ecclesia concedit. Testor etiam ipsos sumptus, qui fiunt sæpius ab eadem in conciliandis summis Principibus Christianis inter se, vt superioribus annis vidimus, & facit Cle. vn. de iureiur. Et vt breuiter dicam, in necessitatibus Principum Christianorum contra hæreticos, & à Christiana religione alienos eis opem fert, si ad ipsã confugiant. cap. 2. & cap. non minus, & cap. aduersus, de immun. Eccl. Nullam ergo iustam causam habent, quamobrem suis decretis Libertatem Eccl. violent.

6 Nec etiam repugnat, † quod stabilibus in Ecclesias, aliaq; pia loca translatis, subditi laici sordescent, & pauperes fient; nam contra potius, ditiores, atq; illustriores erunt, arg. cap. reuertimini, & cap. seq. 16. q. 1. non enim patitur Deus, vinci se benignitate; immò, qui contra faciunt, hæc contingunt, vtpote, quia quod nõ habet Christus, rapit fiscus, vt dicitur in c. decimas, ead. q. † Addo,
7 si subditos Principum sordescere non decet, minus decere ministros Christi, ex quo digniores sunt, arg. cap. duo sunt, d. 96. & cap. solitæ, de maior. & obed. quandoquidẽ tunc (quod grauius est) contemnuntur à laicis c. diaconi sunt, vers. Mẽdicat infelix in plateis d. 93. Hinc, ob hãc rationem ad sacros ordines seculares clerici non admittuntur, qui vel patrimonium idoneum non habent, vel beneficium vnde se sustentent cap. neminem d. 70. & cap.

sanctorum. ead. dist. & Trid. Synod. sess. 22. cap. 1. de reform. & pertinēt huc, quæ dixit Diaz. in Pract. Crim. can. cap. 18. num. 3. Postremò contra ius, fasq; vtilitas publica quæri non debet, quod hoc decreto contingit, priuando Ecclesiam suis iuribus, ac libertate, vt supra præmisi. Ratio igitur nulla est; septima nunc venit examinanda.

S V M M A.

1 *Septima ratio huius Iurisconsulti quaenam sit.*
2 *Decretum hoc inuidum est.*
3 *Loca multa, scilicet, oppida, Ciuitates, & Prouinciæ possidentur à Principibus laicis, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ.*
4 *Eleemosynæ, & pia legata stabilium bonorum non inferunt damnum, ac præiudicium Principatui, ac subditis.*
5 *Prohibere, ne Ecclesijs stabilia relinquantur, ad Pontificem Max. pertinet.*
6 *Octaua ratio, qua confirmatur septima proposita, quanā sit.*

VII.

1 §. † SEPTIMÒ, Ratione hac Iureconsulus conclusionem suā probat. Ecclesiæ status Veneti sunt tales, ad quas, nisi eis quoad acquisitionem immobilium prouideatur, vel omnia immobilia, vel maior pars ipsorum perueniet ad ipsas Ecclesias, in perpetuum damnū, & præiudicium tàm principatus, quàm subditorum.

Ergo tales Ecclesię sunt, quibus, necessitate, & vtilitate publica id suadente, remoueri debet à Principe laico, occasio acquirendi immobilia.

Ergò rectè per Decretum Principis prouisum est, nè laici immobilia transferant ad Ecclesias.

Ergo Decretum hoc valet.

Hæc est septima ratio, qua nititur hic Iureconsultus suam conclusionem probare, quæ sicut à veritate aliena est, ita, & Christiano nomine apparet indigna.

2 Primò, † quoniam argumentum hoc inuidiæ plenum est; inuidet enim fælicitati Ecclesiæ, inuidet cultui diuino, inuidet saluti animarũ, inuidet, & sustentationi pauperum; quàm autem graue hoc delictum Inuidiæ sit, tradidit S. Thom. 2. 2. q. 36. art. 3. vbi ex suo genere peccatum mortale esse, asseruit; nam cõtrarium charitati est, per quam est vita animæ spiritualis; gaudet enim charitas bono proximi, inuidia autem tristatur, vt ibid. S. Tho. inquit. Huiusmodi Decretum inuidiæ etiam plenum esse, sentit Summus Pont. in cap. 1. vers. Tanquam honoris, & priuilegij Ecclesiarum inuidi, de immun. Eccl. lib. 6. & inuidiosa, etiam iuri ciuili displicere, testatur Imperator in tit. De leg. suf. can. toll. in Instit. & ibi Gloss. not. & in l. 1. in principio vbi quoq; Gloss. C. de cad. toll.

Præterea, negatur, immobilia omnia per maiorẽ partem ad Ecclesias, & alia loca pia esse peruentura, quandoquidem ex sententia huius Iuriscosulti, & aliorum, qui hanc opinionem sequuntur, stabilia nõ transibunt in pia loca illius status, cùm ex verbis ipsorum, quo animo erga Ecclesiam sanctam Dei affecti sint, apertissimè declaretur, arg. l. ad recognoscendos, C. de ingen. manum. & l. labeo, ff. de supelect. leg. &, vt docuit Philosoph. in libello De Tractatione, in proœm. Præterea, negatur alia ratione hoc futurum; nam antecedentia declarant consequentia, cap. mandata cælestia, & cap. scribam eis, & cap. ex studijs, & cap. cum in iuuentute, de præsumpt.

3 At Ecclesia hucusq; † quot non dico fundos, & prædia tàm vrbana, quàm rustica, ipsi relicta, amisit, occupata à laicis, (videant, qui volunt, & recentiores, & antiquiores Eccles. rerum scriptores, qui sępius testantur, quàm plures Ecclesias olim ditiores fuisse, nunc autem pauperes omnino esse factas, iniuria temporum, vel hominum potius) quot, inquam, oppida, Ciuitates, Regna etiam possidentur à Principibus Christianis, quę sunt Ecclesię? Iureconsultus hic ipsos Venetos consulat. Non ęst igitur

tàm anxio trepidandum timore, quòd ſtabilia omnia ad Eccleſias transferantur. Poſtremò, ſi ſtabilia aliqua Senatus Veneti ad Eccleſias tranſeunt, non ne eorum filij ipſorum fructibus aluntur? an non Eccleſiæ ipſorum, & Epiſcopatus, ſubditis eiuſdem ſtatus conferuntur? Et ſi aliquando penſiones extraneis tradũtur vice verſa etiam Veneti in alterius ſtatus Eccleſijs penſiones conſequuntur, ac ſępius dignitatibus, ac honoribus ab Eccleſia decorãtur. Non eſt igitur, cur fælicitati Eccleſiæ inuideant, aut vereantur, ne ſtabilia omnia ad Eccleſias tranſeant.

4 Secundò † negatur, in præiudicium, ac damnum perpetuum Principatus, ac ſubditorũ fore, ſi ſtabilia aliqua ad Eccleſias veniant. Vnde enim hoc probatur? Conſtantinus Magnus, quo erga Eccleſiam nemo liberalior fuit (non enim prædium vnum, vel duo; ſed Vrbem, atquè Imperium magnum Eccleſiæ condonauit, vt habetur in cap. Conſtantinus. diſt. 96. & in cap. futuram 12. q. 1. & c. fundamenta, de elect. lib. 6.) & Theodoſius Senior, & eius filij Archadius, & Honorius, & alij plures Imperatores, de quibus in Bulla Siſti V. incip. laudemus viros glorioſos, quæ eſt in ordine 74. Imperatores inquam hi, qui pluribus bonis Eccleſiam ditarunt, nõ hęc damna paſſi ſunt, ac pręiudicium, nec eorum ſubditi; ſed contrà potius, eorum Imperia à Deo Optimo Max. conſeruata ſunt, atquè aucta; nec non ipſi ſummam gloriã apud bonos ſibi perpetuò compararunt, & (quod maius eſt omnium) æternam vitam ſibi meruerunt. Non igitur pia legata, nec relicta Eccleſijs, damnum, ac præiudicium afferunt, ſed contrà potius, Reſpublicæ, ac priuatæ conſeruãtur, cùm Deo hæc offerantur, de quo ſcriptum eſt, Prouerb. cap. 8. Per me regnant Reges, & illud, Dominus pauperum facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat, lib. 1. Reg. c. 2.

5 Poſtremò † dato, ſed non conceſſo, huiuſmodi remedium prouidendum eſſe, nego tamen, ad Principem laicum hoc pertinere; nam, vbi priuilegium cuipiam conceſsum

cessum est, quod reuocari debeat ab eo, qui illud concessit, vel ab eius successore, qui eandem potestatem habet, reuocari debet, c. dilecti, & c. suggestum, de decim. Priuilegia.n.ibi à Romano Pont. concessa quibusdam regularibus, ne decimas prçstarent, quoniam damnosum erat, reuocatum fuit itidem à Romano Pont. Ergo idem in casu nostro dicendum est, scilicet, prohibitionem hanc, si fieri debet, à Rom. Pont. emanare debere, qui supremam, & amplam potestatem in iuribus Ecclesię obtinet, & non à Principe laico, qui nullam iurisdictionem in hoc habet; & idcircò nihil ipse prohibere circa hoc potest, etsi prohibeat, prohibitio nulla est, c.fin.de constit.lib.6.& l.fin. ff. de iurisd. omn. iud. Hinc, vbi laici opem sibi ferri volunt ab Ecclesia, non legibus, ac præceptis id iubere, sed humiliter, ac deuotè, cum gratiarum actione à Romano Pont. eam recipere debent, vt habetur in c. nō minus, & in c. aduersus, de immun. Eccl. Quare, & quod ait de prohibitione huiusmodi Iurisconsultus hic, facta in Lauretanea Ecclesia, si verùm id est, non enim id probatur, à Summo Pont. facta est, alioquin & ipsa quoque, sicut & ista nulla esset.

6 Ex his cessat † aliud argumentum, quod tacitò fiebat, hac ratione.

Facultas, quam habent Ecclesiæ, ac loca pia, ad stabilia acquirenda, se habet, sicut priuilegium.

At quod tale est, vbi præiudicium, & damnum graue affert, moderari, restringi, & reuocari iustè potest, cit. c. dilecti, & c. suggestum.

Ergo & facultas hæc restringi debet, ac reuocari; Quandoquidem negantur prędicta omnia, etsi restringenda facultas hæc esset, non ad Principem laicum pertineret, vt probaui: sed iam ad alias rationes nos conferamus.

SVM-

S V M M A.

1 Octaua ratio huius Iuriſconſulti quænam ſit.
2 Decretum hoc repugnat decretis veteris legis.
3 Et diuino iuri puro ; & iuri naturali.
4 Et decretis nouæ legis.
5 Et diuino iuri poſitiuo.
6 Et Pontificio iuri, ac ciuili.

VIII.

§. OCTAVA ratio, qua nititur hic Iuriſconſ.probare propoſitam ſuam concluſionem, hæc eſt.

1 Decretum hoc † non aduerſatur decretis in lege veteri, & Euangelica.

Ergo decretũ hoc eſt tale,quod non eſt reprobandum.

Ergo valet.

Hæc eſt octaua ratio, atq; vltima huius Iuriſconſulti, quæ tamen & ipſa falſiſſima eſt.

Negatur enim primò, nõ aduerſari hoc decretnm de-
2 cretis in veteri lege. Id, quod † hinc probatur, quoniam hoc Decreto, vt ſupra probatum eſt, priuatur Eccleſia à Principe laico,ideſt à non ſuo ſuperiore.Primò vſu iuris, quod habet acquirendi bona etiam ſtabilia quocunq; legitimo titulo. Secundò, priuatur etiam vſu retinendi ſtabilia acquiſita ; poſt biennium .n. cogitur hæc alienare, vt habetur in Decreto relato ab hoc Iureconſulto ; & ſic Libertas Eccl. ex his grauiſſimè offenditur, vt in præmiſſis probauimus.

At priuatio iuris alicuius facta ab eo, qui poteſtatem non habet in ipſum,quem priuat, eſt vſurpatio iuris alterius, contra ſeptimum præceptum Decalogi, eo .n. prohibetur vſurpatio rei, ac iuris alterius cuiuſcunq; facta à non habente poteſtatem,& inuito domino, vt declarauit Catech. Romana eod. præcept.

Ergo

Ergo Decretum hoc aduersatur decretis veteris legis; Decalogi .n. præcepta in veteri lege lata sunt, vt habetur in Exodo cap. 20. Quæ præcepta per nouam legem abrogata non sunt: immò approbata; vt quæ nec cęremonia-
3 lia, nec iudicialia sunt, sed moralia. † Quare ex his patet, Decretum hoc aduersari iuri Diuino puro, à Deo .n. antequam homo fieret, Decalogi præcepta data sunt. Repugnat etiam iuri naturali, quandoquidem pręcepta Decalogi insita sunt animis hominum natura, vt id pluribus declarauit Catech. Rom. in explicatione Decalogi c. 1. paulopost principium, ibi, Inter cętera autem, quæ animos hominum possunt ad ius huius legis seruandum, & cœt.

4 Negatur † etiam, non aduersari legi Euangelicæ, immò plurimum aduersatur. Tum quòd, ex quò Christus Dominus potestatem duplicem ordinis, & iurisdictionis Ecclesiæ tradidit, vt supra præmisi, necessariò concludendum est, & potestatem dedisse, vt acquirere posset ea, quæ ad ipsas potestates conseruandas pertinerent, & idcircò stabilia, vt probaui supra; non enim sine his diutius esse possunt, vt dixit Paschalis Papa in cap. si quis obiecerit, 1. q. 3. Hinc beneficium Eccl. ac dignitates, & Iuspatronatus creata sunt, quę sine immobilibus non facilè fierent, neq; sustentarentur. Tum quòd hanc potestatem (quæ Libertas Eccl. nominatur) auctoritate sibi diuinitus, ac supernaturaliter tradita institutam, quò tuerentur Rom. Pont. constitutiones plures fecerunt, ac speciatim contra eos excommunicationem tulerunt, qui ausi sunt prohibere, ne laici in Eccl. personas bona alienarent; sicut etiam cauerunt, ne iam acquisita alienare cogerentur, vt habetur in c. 1. & c. fin. de immun. Eccl. lib. 6. Ex quibus patet, Decretum hoc etiam contra legem Euangelicam es-
5 se, † & idcircò contra ius diuinum positiuum; necnon
6 † contra legem Canonicam, & Pontificiam, idest, Pontificias constitutiones, vt mittam etiam, esse contra ius gen-

tium,

tium, ac ciuile, §. per traditionem quoq; in Instit. De rer. diuis. contra l. in re mandata; C. mand. & l. inuitum, & l. dudum, C. de contrah. empt. & l. nec emere, C. de iur. delib. quibus iuribus piæ causæ, cuiusmodi hæc est, priuilegia etiam plura concessa sunt. Hinc, etsi legatum incertæ personæ non valeat, factum tamen simpliciter Ecclesiæ, valet, vt dixit Viu. in sua Syl. opin. 444. & hæreditate non adita, etsi omnia in ipsa relicta, pereunt, l. si nemo, ff. de test. tut. secus tamen, vbi in piam causam est, ita Bart. & alij, & Viu. ibid. qui, ita in Praxi seruari, testatur. Ad summum, apud omnes bonos piæ causæ ratio semper habita fuit. Liquidò igitur constat ex his, decretum hoc, & iuri veteri, & nouo repugnare, idcircò probandum non esse, & huius Iurisconsulti rationem falsam apparere. Mitto autem rationem eius ab auctoritate depromptam. Tum quòd multò plures, ac grauiores DD. contrariam sequũtur, relati in l. nemo, §. diui, ff. de leg. 1. & alibi. Tum quòd Ias. cui placet opinio hæc, cõtrariam magis communiter receptam, testatur; & in consulendo, & iudicando eam tenẽdam, suadet & de communi etiam testatur Clar. in prax. crim. §. fin. q. 82. & Viu. in sua Syl. opin. 755. Sed absolutis rationibus huius Iurisconsulti; iam ad rationes Marci Antonij Othelij properemus.

S V M M A.

1 *Argumentum Marci Antonij Othelij quod sit.*
2 *Decretum hoc non est honestum.*
3 *Non iustum.*
4 *Non possibile.*
5 *Non secundum naturam, & consuetudinem patriæ.*
6 *Non necessarium, nec vtile.*

IX.

SVBLATIS rationibus primi Iurisconsulti; nunc rationes secundi, scilicet Marci Antonij Othelij

videa-

videamus. Et quoniam nonnullas communes cum rationibus propositis reddidit, quę supra sublatæ sunt, ob eam rem, illis omissis, ad reliquas accedamus.

1 Nona † ratio igitur, sed prima Marci Antoni Othelij, qua, Decretũ hoc validum esse, probare nititur, hæc est.

Decretum hoc est honestum, iustum, possibile secundum naturam, & consuetudinem patriæ, conueniens loco, & tempori, vtile, & necessarium.

Ergo Decretum hoc est, sicut lex esse debet, cap. erit autem lex, dist. 4.

Ergo validum est.

Hæc est nona ratio, qua hic Iureconsultus vtitur ad probandum propositum decretum valere, quę tamen vera non est.

2 Nam † primò negatur, decretum hoc honestum esse; quandoquidem honestas versatur circa bonos mores, vt dixit Gloss. in l. Iustitia est constans, §. Iuris præcepta, ff. de iust. & iur. & in §. Iuris præcepta, in Instit. eod. At decretum hoc non versatur circa bonos mores, quippe quia Ecclesijs sua iura tollit, in quas Iurisdictionem non habet necnon libertatem Eccles. violat, contra cap. 1. & cap. fin. de immun. Eccl. lib. 6. Deinde, quatenus in se est, Dei cultum, & animarũ salutem impedit, quod non solùm contra bonos mores simpliciter est, sed contra bonos mores Christianos, qui suadent in primis, vt Deum colamus, & animarum salutem queramus, ergo decretum hoc non est honestũ, immò statuentium existimatio, ac fama per ipsum læduntur, ac de ipsis malè loquendi ansam tribuit, scandalumq; generat, contra ca. cum ex iniũcto, de oper. nou. nunc, cum simil. cit. ibi à Gloss. in verb. Pro scandalo. Hinc S. Thom. par. 2. q. 95. ar. 3. declarans verbum illud, Honestum, inquit, referri ad hoc, quod religioni cõgruat. Idem Isidorus dixit relat. in c. consuetudo, dist. 1.

3 Secundò † negatur, Decretum hoc esse iustum; nam iustitia alienum non vsurpat, nec iniuriam cuiquam fa-

cit, sed suum cuiq; tribuit cit. l. Iustitia, & §. Iurispræcepta, ergo decretum hoc iustum non est, cùm, vt proximè dixi, ius Ecclesiarum tollat, & libertatem Eccles. violet. Præterea per hoc Decretũ impeditur Religio erga Deũ contra, l. veluti, ff. de iust. & iur. & contra c. consuetudo autem, vers. lex erit omne, ibi, quod religioni conueniat, ead. dist. at religio est annexa Iustitiæ, vt dixit S. Tho. 2. 2. q. 81. art. 6. & ibi Caiet. & Nauar. in Man. cap. 14. nu. 1. & facit l. 2. iunct. tit. ff. de iust. & iur. Ergo hac quoq; ratione Iustum dici non potest, ex quò religionis progres-
4 sum minuit † Hinc apparet, Decretum hoc nec possibile esse, cum nec iustum, nec honestum sit. Non enim posse fieri aliquid dicitur, quod de iure fieri non potest, l. conditiones, & ibi Gloss. 1. & l. filius, ff. de condit. instit. & gloss. in §. Impossibilis cõditio, in Instit. de hæred. instit. & c. fin. iunct. Glos. de pact. cum simil.

5 Tertiò † negatur, esse secundum naturam, & consuetudinem Patriæ, si enim Status Veneti natura, ac cõsuetudo hæc esset, non tot Ecclesiæ summo artificio ædificatæ extarent; non tot monasteria cõstructa, in quibus partim sanctissimi viri floruerunt, partim sanctissimæ Virgines occlusæ, se Deo dicarunt; non tot hospitalia erecta, in quibus pauperes, ac varijs morbis oppressi, sustentantur, ex quò huiusmodi decretis prędicta omnia impediũtur. Quare Iureconsultus hic melius fecisset, si hoc silentio præterijsset, cùm hoc decreto, ab antiqua Venetorum pietate, ac religione recentiores hos degenerasse, significetur. Hinc etiam apparet, non conuenire loco, ac tempori: quod enim malum est, vbiq; & semper malum est, vt certi iuris est.

6 Postremò † negatur, Decretum hoc esse vtile, ac necessarium patrię; quod enim offensam Dei cõtinet, quòd in detrimentum salutis animarum redundat, quod ius alienum tollit, iurisdictionemq; Eccl. violat, qua ratione necessarium vtile vè sit, non video. Lex enim debet con-

uenire religioini, & saluti animarum prodesse, vt dicitur in cit.c. consuetudo, & S. Thom. in cit.q.95.art.3.

Nec facit, quod dicitur, valere statutum, ne stabilia in exteros alienentur; nam eo statuto nō ius alterius vsurpatur, nō Diuinus cultus diminuitur, non salus animarū impeditur, nō iurisdictio in statuēte desideratur, quæ omnia in casu nostro contingunt, vt alibi supra dixi. Ex quò igitur diuersum statutum illud est ab hoc, inde argumentū sumi non potest, arg.l. Papinianus exuli, ff. de min. etenim, ex quò cessant rationes in eo statuto, quæ decretum hoc nullum reddunt, meritò & dispositio cessare debet, c. cùm cessante, de appell. & l. adigere. §. quamuis, ff. de iur. patron. Ratio igitur hęc nulla est; iam ad aliam huius Iurisconsulti transeamus; quod enim Decretum hoc clarū sit, & manifestum, nimis constat, ac liquet; atq; vtinam fuisset potius ita obscurum, vt contra Ecclesiam nihil facere apparuisset; non .n. tot absurda consecuta fuissent.

S V M M A.

1 Argumentum Decimum, sed huius Iurisconsulti secundum quodnam sit.

2 Vicinus in suo loco potest facere, quod vult, esto alteri lucrum auferat.

3 Secus si vel damnum faciat.

4 Vel prohiberi possit ab altero vicino, ne id faciat.

X.

DECIMA ratio, sed quarta huius Iureconsulti, qua nititur probare, decretum hoc validum esse, † hæc est.

1 Decretum hoc factum à Senatu Veneto, ne subditi in Ecclesias stabilia alienent, factum est in suos subditos.

Ergo se habet sicut id, quod fit à priuata persona in suo loco; valet enim argumentum à loco ad personas, l.

iurium, ff. si cert. pet. & l. qui plures, ff. de vulg. & pupill.

Ergo statutum hoc valet, esto Ecclesiæ noceatur; sic. n. & priuata persona potest in suo loco facere, quod vult, esto alteri contingat noceri, modò id faciat, vt sibi prosit; non autem, vt alteri obsit, l. Proculus, ff. de damn. infect. l. 1. §. ijdem, ff. de aqu. pluu. arcen.

Hæc est altera ratio huius Iurecōsulti, quæ tamen nulla est. Negatur enim, decretum hoc esse in suos subditos tantùm, Nam Ecclesias, & Eccl. personas complectitur. Id, quod hinc patet; nam præter rationes redditas supra in primo argumento, causa immediata prohibitionis est, ne acquisitio stabilium fiat ab Ecclesia, & idcirco illa in primis attendi debet c. cùm voluntate, de sent. excomm. Hinc, effectus causæ immediatè, & nō remotæ tribuitur, vt dixit Ias. in l. si pecuniam, ff. de cond. caus. dat. non secut. Ex quo igitur de Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis in primis disponit, in quas iurisdictionem non habet auctoritas laica, argum. tot. tit. de for. comp. & vt supra probauimus, meritò decretum nullum est, arg. c. fin. de constit. lib. 6. & l. fin. ff. de iurisd. omn. iud. & tot. tit. Cod. Si à non compet.

Præterea negatur, se habere, seu simile esse hoc decretum facto à priuata persona in suo loco. Primò, quoniam Ecclesia per hoc decretum priuatur vsu iuris acquirendi, quod habet de iure Diuino, vt supra probaui; priuatur etiam iure retinendi bona, quæ acquisiuit, cogitur enim post biennium ea alienare, quæ duo sunt contra libertatem Eccl. cap. 1. & cap. fin. de immun. Eccl. lib. 6. & idcircò damnum patitur cum iuribus priuetur, quæ iam habet.† At vicinus non damnum patitur, sed lucrū amittit, & idcircò similia non sunt; multum enim interest, an quis damnum patiatur, vel lucrum amittat, seu lucro vti prohibeatur, vt ait Iureconsultus in cit. l. Proculus; Lex enim plus fauet eis, qui damnum patiuntur, quàm, qui lucrum amittunt; l. fin. C. de Codicill. & §. cùm autem, in

Instit.de leg. Falcid. cum sim. Postremò Ecclesia ius habet coercendi eos, qui prędicta iura ei impediunt cit. ca. 1.& cap.fin.quod non habet ipse vicinus. Ex quo igitur diuersa sunt, à facto à priuata persona in suo loco, quod lucrum vicino adimit, qui vicinus nullum ius impediendi habet,ad rem nostram,tanquam ex diuerso, argumentum sumi non potest, arg. l. Papinianus exuli,ff.de min.

3 Immò † si damnum daret vicino, qui in suo loco ali-
4 quid facit † vel ipse vicinus haberet ius prohibendi;idem iuris est,quod in casu nostro;non enim posset in suo facere,quod ei liberet,vt dicitur in cit.l.Proculus,& in l.Trebatius, & ibi Gloss. & Bart.ff.de damn. infect.& facit etiā tot. tit. extra de noui oper. nunc. Retorqueri igitur potest argumentum hoc contra hunc Iureconsultum, vt mittam, responsiones datas ad tertium argumentū huc quoquè pertinere, & idcircò, per rationem hanc concludendum est, Decretum hoc nō sustineri: sed iam ad quartam rationem huius Iurisconsulti transeamus.

S V M M A.

1 Vndecima ratio, qua hic Iureconsultus probat conclusionem, quanam sit.

2 Statutum inhabilitans laicum, ne recipiat ab Ecclesia, an valeat.

XI.

§. VNDECIMA ratio, quæ est quarta huius Iurisconsulti, qua nititur probare, Decretum hoc valere,
1 re, † hæc est.

Statutum hoc inhabilitans laicum, ne in Ecclesias bona stabilia transferat, se habet, sicut statutum inhabilitans laicum, ne recipiat ab Ecclesia.

At statutum tale valet, vt inquit Zabar. in cons. 144. num.4.de sent. Fed. Sen.

Ergo & statutum hoc valet, & multò magis.

Nec

Hęc ratio nihil probat. Nā primò pro certo habet, statutū hoc valere obid, quòd illud valet; quod necessariò non sequitur, sicut nec hoc, laicus percutiens clericum in excommunicationem incidit, ergo & clericus percutiens laicum excommunicatione obligatur, quod falsum est ob diuersam rationem.

2 Præterea negatur † statutum tale valere, quicquid dixerit Zabar. nulla ratione solidiori ductus; nam, vel inhabilem reddit laicum, ne ab Ecclesia recipiat mobilia, & in hoc casu non valet; est enim contra cap. fin. de immunit. Eccl. lib. 6. vbi etiam excommunicantur, qui decreta hæc faciunt; Vel incapacem reddit, ne stabilia recipiat; & hoc iam non valet ob rationem positam in cit. c. fin. quia, scilicet, contra libertatem Eccl. factū est; si ergo non valet statutum illud; ergo nec hoc, ex quo, illo, tanquam fundamento, statutum hoc nititur, arg. l. 1. & 2. ff. de vsufruct. & de hac ratione satis.

S V M M A.

1 *Duodecima ratio quanam sit.*

2 *Consuetudo, quæ contra Ecclesiam est, non valet, vbi præiudicium graue affert.*

3 *Consuetudo alicuius loci est aliquid facti, sicut statutum, & ignorari facilè potest.*

XII.

1 §. † DVODECIMÒ probatur ab hoc Iurisconsulto ea ratione, decretum valere.

Statutum hoc est æquum, & iustum.

Ergo fuit diutissimè obseruatum, & adhuc obseruatur Venetijs, & in eius Ducatu, vt in facto proponitur.

Ergo eadem ratione, & auctoritate potuit ad totū dominium, atq; ad omnes subditos extendi ob longi temporis consuetudinem, & obseruantiam, quæ æquiparatur priuilegio, l. 2. §. casus, ff. de aqu. pluu. arcen. Ergo valet.

Hæc

Hæc est Duodecima, & vltima ratio huius Iurisconsulti Othelij, quæ tamen nulla & ipsa est. Nam primò negatur, decretum hoc esse æquũ, & iustum; contrarium enim supra probauimus, ex quò per ipsum ius suum Ecclesiæ aufertur, & ab eo, qui potestatem talem non habet, & Libertas Eccl. violatur.

Secũdò negatur ob id, quòd fuit diutius obseruatum,
2 valere, & obseruari debere; † Nam consuetudo, quæ Ecclesiæ damnum graue infert, cuiusmodi hæc est, non valet, & tolli omninò debet, c. 1. & ibi not. De consuet. immò radicitus extirpanda est; nam aliàs in priuilegiorum ius assumitur ab impijs, vt dixit Nicolaus Papa in c. mala, d. 8. Consuetudo .n. rationabilis esse debet, & non contra vtilitatem Ecclesiæ, cuiusmodi hæc est, vt dixit Gloss. in cit. c. 1.

Ex his patet, cũm tolli cõsuetudo hæc debeat, ad alios ipsam trahi nõ debere, arg. l. legata inutiliter, ff. de adim. leg. Non .n. iuris priuilegia habet, ex quò contra Ecclesiam est, nec Papa videtur tacitò eam probare, cùm eam
3 probabiliter ignorauerit; † Sicut .n. statuta locorum, ita & Consuetudines sunt quid facti, & idcircò probabiliter ignorantur, c. 1. de consuet. lib. 6. & consequenter nec probari præsumuntur; quod autem à quopiam ignoratur, probare illud ipse nõ censetur, arg. c. cùm quis iunct. Gloss. Tuo nomine, cum seq. de sent. excom. lib. 6.

S V M M A.

1 *Ratio decimatertia, & prima Ioachini Stayni, quænam sit.*
2 *Leges ciuiles, quæ non repugnant iuri Canonico intelliguntur probatæ ab Ecclesia.*
3 *Lex ciuilis prohibens alienationem fundi dotalis reijcitur ab Ecclesia, vbi iuramentum mulieris interuenit.*
4 *Mulier non præsumitur donare.*

§. De-

XIII.

1 §. DECIMATERTIA ratio, qua conclusio proposita probatur, sed tertia Ioach. Scayni † hęc est. Decretum hoc se habet, sicut lex ciuilis, quæ prohibet alienationem rei dotalis.

Ergo decretum hoc afficit etiam Eccles. personas; nam prohibitio illa alienationis rei dotalis afficit Eccles. personas, vt alienatio ipsius in eas facta non valeat, vt dixit Abb. in c. quod clericis, nu. 30. de for. compet. Hæc est ratio, qua hic Iureconsultus probare nititur hanc conclusionem, quæ tamen nulla est.

Primò, quoniam dispositio illa iuris ciuilis ab Ecclesia
2 approbata est, id quod hinc patet. † Tum quia non contradicit iuri canonico, quo casu omnes leges intelliguntur probatæ ab Ecclesia, c. fin. & ibi Abb. nu. 3. qui, eum canonem ad id quotidie allegari, testatur, de oper. nou.
3 nunc. † Tùm quia respuit eam prohibitionem Ecclesia, ac reijcit, vbi est iuramento confirmata; nam tunc illlam tollit, & non obseruat, vt habetur in c. cùm contingat, de iureiur. in antiq. & in c. licet, eod. lib. 6. vbi etiam Romanus Pontif. mandat ordinarijs locorum, vt cogant iudices laicos censura Eccl. ad seruandas huiusmodi alienationes, quas mulieres iureiurando confirmarunt. Ex quò igitur in eo casu ipsas tollit, secus erit in alijs, vbi iusiurandum non adest; exclusio .n. vnius alterius inclusio est, c. nonne, de præsumpt. & l. cum prætor, ff. de iud.

At in casu nostro Decretum hoc Ecclesia non probat, immò ipsum improbat omninò, & censuris latis prohibuit, vt habetur in Monitorio; non igitur ratio hęc quicquam facit.

Postremò negatur, Decretum hoc se habere, sicut lex illa ciuilis; nam prohibitio rei dotalis facta ab ea lege, aut parum, aut nihil obest Ecclesiæ: id quod hinc patet, nam illa alienatio aut titulo lucratiuo, aut oneroso fit in

Eccle-

Ecclesias. Titulo lucratiuo non præsumitur ex parte mariti, ex quo de suo largiretur, cùm omnia bona mariti sint tacitò hippothecata pro dote, l. vnic. C. de rei vxor. act.
4 † Minùs ex parte mulieris, quæ non censetur suum patrimonium, vnde se sustentat, donare velle, cùm genus mulierum auarissimũ sit, vt dixit Gloss. in l. 2. in verb. Aetatis, C. de ijs, qui ven. ætat. imp. Titulo oneroso autem si in Ecclesiam alienatio fiat, parum vtilitatis recipit Eccl. ex quò tantum dat, quantum recipit, arg. l. si & rem, & pretium, ff. de pet. hæred.

At per hoc decretum prohibentur alienationes omnes quocunq; titulo factæ, & rarius titulo oneroso fiunt, sæpius autem titulò lucratiuo, & idcircò decretum hoc infert damnum Ecclesijs, & cultui Diuino, & saluti animarum, quarum rerum gratia legata pia relinquuntur. Non se habet igitur decretum hoc, sicut lex illa ciuilis; & idcircò idem ius statui non debet, sed diuersum, arg. sumpto à contrario sensu, c. cum dilecta, de confirm. vtil. vel inutil. & l. illud, ff. ad leg. Aquil. Addo, Ecclesiam id probare, quoniam in damnum mulieris redundaret, cum alterius damno autem nõ vult locupletari, vt sup. diximus.

S V M M A.

1 *Decimaquarta ratio quanam sit.*
2 *Charitas malum non operatur.*
3 *Vt bene quis operetur, non solùm requiritur finis bonus, verùm etiam & media apta, & iusta ad eum finem.*

XIV.

§ DECIMAQVARTA ratio, quæ est quinta Scayni, quaq; probatur cõclusio proposita, † hęc est.
1 Decretum hoc à Principe laico latum, est decretum, quo prospicitur, vt homines, Principis imperio, & protectioni subiecti, plus habeant illis, qui non sunt ei subiecti, vt personæ Eccl.

Ergo proſpicit ijs, quibus magis debetur.

Ergo Charitati conueniens eſt, l. præſes, C. de ſeruit. & aqu.

Ergo non eſt iniquum, nec illud inſtituens improbandus eſt, eſto cõtingat, conditionem Eccleſiaſticarum perſonarum deteriorem fieri, vt dixit Bald. in conſ. 1 1. nu. 3. inter conſ. Anchar.

Ergo decretum hoc valet.

Hæc eſt quarta ratio huius Iuriſconſulti, quæ tamen nihil probat. Nam primò negatur, decretum hoc Charitati conſentaneum eſſe. † Et hoc, quoniam Charitas non agit perperam, vt inquit Apoſtolus ad Corinth. epiſt. 1. cap. 13. quod hic contingit, ex quò, vt ſubditis conſulatur, Eccleſiæ priuantur iure, quod habent acquirendi, & acquiſita retinendi contra c. 1. & c. fin. de immun. Eccl. non igitur agit ex officio Charitatis, nec hoc ad officium Charitatis pertinet.

2

Præterea Charitas ordinata eſſe debet, & primò erga Deum, eiusq; diuinum cultũ, & deinde erga proximum reſpectu habito in primis ad animam, vt de ſententia D. Thom. dixit Syl. in verbo Charitas q. 2.

At hoc decreto impeditur diuinus cultus, nec non animarum ſalus, vt ex dictis patet, & hoc fit, vt conſulatur corpori, ac temporalibus rebus, ergo Decretum hoc ſecundum Charitatem non eſt, & idcircò nihil probat.

3 Poſtremò, † eſto, bonum finem propoſitum habeat, vt ſubditis conſulatur, non tamen hoc ſat eſt, vt benè quis operetur, ſed requiruntur debita, & conuenientia media, & circunſtantiæ, vt dixit S. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1. & 2. & q. 47. art. 5. & Gloſſ. 2. in c. 1. de colluſ. deteg. & ibi not. Abb. nu. 4. Hinc, qui intendit facere eleemoſynam, bonum finem propoſitum habet, c. venerabilibus, §. pen. de ſent. excomm. lib. 6. Id, quod & per ſe patet: at ſi rem alienam inuito domino largiatur, nihil facit, c. nolite, & c. immolans, 14. q. 5. eſto igitur finis bonus ſit, medium

etiamsi, scilicet ablatio rerum alterius, malum est, & idcircò dispositio, & decretum mala. Hæ igitur rationes sunt, quæ ab his tribus Iureconsultis afferuntur, ad probandum primum Decretum, quæ sicut nullæ sunt, ita & Decretum nullum: iam ad refellendas alias rationes transeamus, quæ adducuntur pro secundo Decreto: id quod 1
in seq. præstabimus.

De secundo Decreto Principis, ac Senatus Veneti, quo cautum est, ne quis in suo statu, absq; sui licentia construat, aut construi de nouo faciat Monasteria, Eccle. Hospitalia, & alios reductus religiosorum, vel secularium. *Cap. VI.*

S V M M A. 2

1. *Argumentum primum Marci Antonij Pelegrini quodnam sit.*
2. *Licentia ædificandi Monasteria pertinet ad Pontif. Max.*
3. *Religiosos Rempublicam perturbaturos verisimile non est.*
4. *Religiones approbantur tantùm à Pontifice Max. & extinguuntur.*
5. *Collegia, Religionis causa instituta, probare non pertinet ad Principem laicum.*
6. *Hospitalia quamobrem instituta, & ab Episcopis visitantur.*
7. *Confraternitates pietatis causa instituta, visitantur ab Episcopis, & probantur.*

SVBLATIS rationibus, quæ à propositis Iureconsultis pro primo Decreto afferebantur; iam rationes eorundem aggrediamur, quibus secundum Decretū probare nituntur, quo cautum est, ne Monasteria, Ecclesiæ, Hospitalia, & alij reductus religiosorum, vel secularium sine licentia Princi-

pis, ac Senatus Veneti conſtituantur. Verùm, quòd in hoc probando confuſè rem tractarunt, propterea ex eorum dictis rationes primarias omnes eliciam, & ad eas ſigillatim reſpondebo.

Decretum igitur hoc etiam validum eſſe, Marcus Antonius Pelegrinus hac primum ratione † probat.
1

Decretum hoc eſt factum à Principe laico Senatus Veneti, ne in Monaſteria, & loca pia mali homines congregentur, & ſtatum Reipublicæ perturbent.

Ergo factum eſt ab habente ad id poteſtatem, l.1.ff.de coll. illicit. & pro bono regimine.

Ergo valet.

Hæc eſt prima ratio, qua hic Iureconſultus, decretum hoc validum eſſe, probare nititur, quæ tamen nulla eſt. Nam negatur primò, factum eſſe ab habente poteſtatem
2 prohibendi ædificationem horum locorum. † Nam dare licentiam, vt Monaſteria religioſorum denuo ædificentur, vel non ædificentur, vel acquirãtur (vel viri, vel mulieres ſint) nõ ad laicum Principem pertinet, ſed ad Pontificem Max. in primis, & alios Eccleſiæ Prælatos, ideſt ad Epiſcopos in ſuas Diœceſes, vt habetur in c. vnico, de exceſſ. Prælat. lib. 6. & Clem. 3. de pœn. & apud Trid. Synod. ſeſſ. 25. cap. 3. de Regul. Immò hodie Papa ſibi reſeruauit, & ſine eius cognitione, & licentia noua Monaſteria ædificari nequeunt, ita Sacra Congreg. Illuſtriſſimorum Cardinalium, quæ declarationi eius Concilij præeſt, teſtatur. Ergo non ad laicum Principem pertinet, ergo nec facultatem ædificãdi adimere poteſt; eius enim eſt tollere, cuius eſt dare, ita Gloſſ. in c. cũ maior. de maior. & obed. Non igitur ab habente poteſtatem in hoc, factum eſt decretum.

Secundò, negatur etiam, periculum eſſe, ne in Monaſteria, & hæc loca pia mali homines congregẽtur, & Statũ Reipublicæ perturbent. Nam aut loca hæc ſunt Eccleſiæ, aut Monaſteria, aut Hoſpitalia, aut Confraternitates.

De

De Ecclesijs, nihil est dicendum; non .n. ibi congrega-
3 tiones fiunt. † In Monasterijs aut habitant viri, aut mulieres; si viri, ex quo hi Deo se dicarunt, mundi spretis illecebris, & tribus votis factis obedientiæ, paupertatis, & continentiæ, c.cùm ad Monasterium, de stat. Monach. dies, noctesque in Diuinis laudibus insumunt, sæpius sacra faciunt, ieiunijs se dedunt, à suis maioribus statis temporibus visitantur, atq; reformantur, nihil tale de ipsis suspicandum est, c. 2. de reg. iur. & l. meritò, ff. pro soc.
4 † Accedit item, quod Religiones nouæ nõ admittuntur, nisi à Sede Apostolica approbetur (ad ipsam .n. ipsarum probatio pertinet, c. fin. de relig. dom. & c. 1. eod. lib. 6. & vt dixit Bart. in l. sodales num. 6. vers. Quædam collegia, ff. de coll. illicit.) ergo non est existimandum, Romanum Pontificem religionem aliquam admisurum, vnde perturbatio status alicuius priuati, aut Reipublicæ contingat; nam, vbi quid tale in ipsa nouit, vel quod fidem Christianam violet, vel cõtra bonos mores sit, illam prohibet, atq; improbat, & tollit, ac extinguit; vt Clem. V. Sectam Beguinorum, & Beguinarum in Regno Alemaniæ, quæ catholicam fidem, ac Regnum illud perturbabat, vt habetur in Clem. fin. de hæret. & Pius V. ordinem iam probatum Fratrum Humiliatorum, Regulæ S. Benedicti, ob deprauatos eorum mores, è medio sustulit, vt habetur in Bulla eiusd. Pont. incip. Quemadmodum sollicitus pater, quæ est in ordine 122. & ita faciendum esse, dixit Inn. in c. cùm dilectam, nu. 2. de excess. prælat. Non ergo dubitãdum est de collegijs religiosorum, quòd perturbationem aliquam afferant.

5 Hinc etiam † apparet, non ad Principes seculares pertinere, inquirere, & decernere, an collegia hęc licita, illicitauè sint, cùm ob prædicta, tum quòd, an rectam fidem habeant, & rectè de fide sentiant, & ad Diuinum cultum sint instituta, inquirendum si esset, non hæc ad laicos, sed ad Ecclesiasticas personas pertinẽt, arg. tot. tit. de hęret.

Nec

Nec facit, quòd dixit Bart. in l. 1. ff. de illic. coll. ſub principibus ſecularibus eſſe collegia, nam non de collegijs religioſorum agit, ſed laicorum, quæ non religionis gratia, ſed ob aliam cauſam fiũt; vt mittam, quò ad ea, quæ pertinent ad religionem, laicos ſe immiſcere non poſſe.

Hinc etiam apparet, prohibitionem huius Decreti eſſe contra cit. l. 1. & ibi not. Bart. qua permiſſum eſt, collegia religionis cauſa fieri. Et ex his quoq; tollitur ratio prima Othelij; necnon Scayni in ſecunda reſponſione, qui, ob hoc periculum nouas religiones permittẽdas non eſſe, ſine Principis laici licentia, cenſuerunt: ſed & minus verendum eſt in hoc de Monaſterijs monialium, ob ſexus eius fragilitatem, quod nemo ſanæ mentis inficiabitur.

6 De Hoſpitalibus etiam, † in quæ recipiuntur pauperes leproſi, cœci, claudi, ſenes, infantes, inutiles ad operandum, ægroti, & peregrini, qui breue tempus ibi pernoctant; ad hos .n. miſeros ſuſtentandos Hoſpitalia conſtruuntur, vt habetur in Clem. 2. relig. dom. & apud Trid. Synod. ſeſſ. 22. de reform. cap. 8. & in l. ſancimus, & in l. vt inter diuinum, C. de ſacroſ. Eccl. & in l. omnia priuilegia, C. de epiſ. & cler. & apud Paul. Fuſc. de viſit. cap. 13. quæ perturbatio in Rempublicam, quæ mala exoriri inde poterunt? An pauperes, ęgroti, infantes, ſenes, & huiuſmodi, qui nec viribus, nec corpore valent; nec arma gerere poſſunt, & pecunijs omninò priuati ſunt, tumultus in Rempubl. excitabunt? Ridiculus planè timor hic eſt; ridicula, & inſulſa ratio, nemo enim eorum opera, vltrò etiam oblata, vti vellet. Accedit, quòd hæc Hoſpitalia ab Epiſcopis viſitari debent, vt habetur apud Trid. Synod. in proximè cit. locis. Et ita, ſi quæ ibi inordinata inueniantur, per eos corrigenda mandantur. Non eſt igitur ab his quicquam pertimeſcendum.

A Cõfraternitatibus demum, quæ religionis cauſa inſtitutæ ſunt, & idcircò licitæ, l. 1. §. ſed religionis cauſa,
7 ff. de coll. illicit. nihil tale metuendum eſt. † Tum quòd

Epi-

Episcopi habēt eas quoq; visitare, vt habetur apud Trid. Synod. sess. 22. de Reform. cap. 8. & cap. 9. & animaduertere earum mores, instituta, & pietatem; idq; ne in fide errent, superstitione suè aliquas inducant, seu perniciosos mores; tunc.n. si recta proficiscuntur, probantur, aliàs verò extinguuntur. Tum quòd, ex quo religionis causa, & ad diuinum cultum institutæ sunt, nōn consequitur, vt ab ipsis suspicādum mali aliquid sit, sicut de collegijs fabrorum, de quibus Ascon. quem hic Iureconsultus refert, quæ pietatis gratia non erant instituta. Non igitur ab his metuendum, sed à societatibus perditorum hominū laicorum, vnde proditiones publicarum, nec non conspirationes proficiscuntur; cuiusmodi fuit, quæ à Catilina Roman. vt habetur apud Salustium De Bello Catilin. & à Spartacho, de quo apud Apianum Alexand. exorta est, vt quas recentiores moliti sunt, silentio prætereain. Tandem, vbi quid tale vererētur Principes, Ecclesiasticos superiores adeant, ad quos huiusmodi periculis opportuna adhimere remedia spectat, vt etiam infra dixi. Non igitur ratio huius Iurisconsulti, quicquam facit, & idcircò ratio Othelij, & Scayni in secūda responsione cessat, quæ eadem est cum huius Iurisconsulti ratione; nunc igitur ad aliam properemus.

S V M M A.

1 Argumentum secundum eiusdem Iurisconsulti quodnam sit.

2 Diœcesis Romani Pontificis est totus terrarum orbis.

I.

1 §. † SECVNDÒ probatur cōclusio proposita ab hoc Iureconsulto, hac ratione.

Princeps Venetorum in suo statu se habet, sicut Pater fam. in suâ domo.

Ergo

Ergo prohibere suo decreto potuit, ne sine sua licentia, & consensu religiosi in suum statum ingrediantur, & Monasteria ædificēt; nam & quilibet Pater familias prohibere potest, ne Religiosus in suam domum ingrediatur sine suo consensu, & licentia.

Hæc ratio etiam nulla est; nam priuatus prohibens, ne religiosus domum suam ingrediatur; non impedit Diuinum cultum, & salutem animarum, non Eccles. Libertatem: at Princeps impediens, ne Monasteria ædificentur, prædicta impedit.

Præterea nullum ius habet Religiosus ingrediēdi priuatam domum, nisi parochus sit. Sed, vt Ecclesiæ, & Monasteria ædificentur in aliquo statu, Ecclesia ius habet, vt supra de Libertate Eccles. dixi, ac probaui.

Tertiò, retorquetur hoc argumentum, nam si non licet ingredi inuito domino, ergo secus ipso volēte, & ideo si locus detur à domino fundi ad Monasterium ædificandum, non debet à Principe impediri, quo minus ædificetur, quod enim operatur propositum in proposito operatur oppositum in opposito, l. fin. §. fin. ff. de leg. 3. Ex quò igitur diuersa sunt, ab vno ad aliud argumentum sumi non potest, l. Papinianus exuli, ff. de min. & l. fin. ff. de calum. Hinc tollitur, quod dicitur ab eodem, Principes scire velle singulis diebus, qui nam Ciuitatem ingrediantur; nihil enim prædictorum offenditur.

Postremò, sicut Princeps laicus se habet in suo territorio, ita & Papa in sua Diœcesi, quò ad Ecclesiastica, & quò etiam ad temporalia, & secularia, quatenus pertinet ad spiritualia, vt dixit Summus Pont. in c. per venerabilem, vers. Rationibus his igitur, ibi. Verùm etiam in alijs; qui fil. sint leg. &, vt asseruit Nauar. in c. nouit not. 3. nu. 41. vers. Secundò, & num. 81. vers. Decimoseptimò de iud.

2 † At Diœcesis ipsius Summi Pont. est totus terrarum orbis, c. cuncta per mundum, 9. q. 3. Zabar. in Clem. pastoralis, num. 4. de re iud. vers. Vt illud; Ergo ob eam rem

potest

potest in sua Diœcesi Ecclesias ędificare ad Deum colendum, & animarum salutem prouidendam; immò coercere omnes, qui hæc impediunt, vt id etiam asserui supra cap. 1. §. 4. de libertate Eccl. & cap. 2, §. 3. Hinc cessat ratio Scayni, qui asserit, Principem secularem posse impedire, ne Ecclesiæ ædificentur, quoniam territorium suum est; nam quòad ea, quæ pertinent ad diuinum cultum, & salutem animarũ, ius etiam habet Summus Pont. ob prædicta, ita Nauar. in cap. nouit. Not. 3, vers. Decimoseptimò, vbi quid potestas Eccl. sit, docet. Princeps secularis verò in tẽporalia tantum ius habet. Non repugnat etiam quod dixit Iurecconsultus, Principem secularem, ob iurisdictionem, quam habet in territorio, posse coercere, qui homicidium in Ecclesijs commiserunt; nam illud idcircò potest, quoniam sacrilegiũ mixti fori est, ita Diaz. in Pract. Crim. Can. cap. 87. & Clar. in verb. Sacrilegium cum simil. Addo, hoc redundare in defensionem, & conseruationem Eccl. libertatis, & non in damnum, vt fit per hoc Decretum. Ratio igitur hęc nulla est.

S V M M A.

1 Argumentum tertium huius Iurisconsulti quodnam sit.
2 Ecclesiæ ædificari non debent sine Episcopi licentia.
3 Ecclesia ædificari non debet in præiudicium alterius.
4 Ecclesia, vbi ædificata est in præiudicium alterius, post operis noui nuntiationem destruenda est.

II.

§. TERTIÒ, quòd decretum hoc validum sit quòad 1 prohibitionẽ ædificationis Ecclesiarum † hoc argumento vtitur iste Iurisconsultus.

Ecclesiæ, fieri potest, vt ædificentur cum campanili turrito, vel in aliquo loco, vnde obesse possint Turribus, oppidis munitis, Arcibus status Veneti, & receptaculum prębere hostibus.

Ergo meritò per Decretum hoc prohibitum est, ne sine licentia Senatus ędificentur.

Ergo valet.

Hæc est tertia ratio huius Iurisconsulti, sed prima, &
2 secunda Ioachini Scayni, quæ etiam nulla est. † Primò, sine licentia superioris ecclesiastici, idest, Episcopi, Ecclesiæ in diœcesi ædificari neqeuunt; vt habetur in cap. cùm olim 2. & ibi Gloss. in verb. Reuocari, de priuileg. in antiq. & in cap. auctoritate eo. lib. 6. Immò in loco exempto ædificare nequeunt exempti, nisi licentiam, & priuilegium à Pontifice Romano habeant, vt dicitur in cit. cap. auctoritate, eod. & not. Abb. in cit. cap. cùm olim. num. 9. Idem habetur in cap. nemo Ecclesiam, & in ca. siquis basilicam. de consecr. d. 1. & in c. placuit, vbi Gloss. 1. qu. 2. & in cap. quicunq; q. 1. & in ca. nouit, & ibi Gloss. 1. de Iurepatron.

3 Item licentia dari non debet † nisi causa cognita, scilicet, ne alteri obsit, vt habetur in cap. 1. de eccl. ædific. ibi enim permittitur leprosis, vt Ecclesiam sibi cum cœmeterio construant, modò Ecclesijs alijs non obsint; Caueant tamen, dicitur ibi, vt iniuriosi veteribus ecclesijs de iure parochiali nequaquam existant; & redditur ratio hæc, quod .n. pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Ecce, hic non permitti ecclesiarũ ædificationem cum alterius pręiudicio. Idem dicitur in cap. Ecclesiæ antiquitus, & in cap. quicunque 16. q. 1. Idquè meritò; non enim Ecclesia quicquam concedit, quod in alterius præiudicium, sine legitima causa sit, cap. cum olim vers. Dummodo in conferendis, ibi Abb. num. 6. de consuet. Nõ est igitur dubitandum, quòd cum præiuditio Senatus Veneti Ecclesiæ ædificentur.

Postremò † si hoc Veneti dubitant, protestari debent
4 eis, qui ædificare volunt Ecclesias, ne ædificent, ob damnum futurum per ipsam ædificationem; nam si deinceps ædificentur, sumptibus ædificantium destruuntur, vt ha-

betur in tot. tit. extra de oper. nou. nunc. Cùm igitur, ne ædificetur cùm alterius præiuditio prohibitum esset, etsi contra fieret, ædificium tolleretur, nulla est causa, quamobrem Senatus Venetus velit Ecclesiarum ædificationẽ suis decretis impedire, cùm nullam iurisdictionem in illis habeat, vt paulò post videbimus. Ratio igitur hæc nihil facit, sed iam ad aliam rationem transeamus.

S V M M A.

1 Argumentum quartum Iurisconsulti quodnam sit.
2 Vendere aliquando quis cogitur pro Ecclesia ædificanda.

III.

1 §. QVARTA ratio, qua hic Iureconsultus vtitur, nec non Scaynus in vltimo argumento, † hæc est,

Princeps secularis se habet sicut paterfam. seu priuata persona; At paterfam. non cogitur alienare fundum pro Ecclesia ædificanda, nec, eo inuito, licet Ecclesiam in suo ædificari cùm præiuditio alterius, l. 2. ff. de relig. & in l. sacra, §. 1. ff. de rer. diuis. & l. fin. C. de pact. inter empt. & cap. 1. & cap. 2. de oper. nou. nunc.

Ergò nec Princeps cogi debet, vt eo inuito cõstruantur Ecclesiæ, & Monasteria in loco suspecto, & præiudiciali statui suo, seu Territorio.

Ergo licitè Decretum fuit, ne, sine licentia, prædicta ædificentur.

Hęc ratio etiam nulla est. Primò, quia negatur, inuito domino, aut cum præiuditio domini ipsius fundi Ecclesias ædificari debere, nos affirmare. Hoc enim Ecclesia non intendit, vt habetur in cap. Ecclesiæ antiquitus, & in cap. quicunq; 16. q. 1. & in c. 1. de eccl. ædific. & vt proximè probatum est in antecedenti argumento. Sed tunc tantum ædificare vult in loco à suo domino volente sibi concesso. Quare nec suum vendere quemquam cogit pro

2 Eccleſia ędificanda; † Eſto pro hac cauſa cogi aliquando quis poſſit ad alienandum; ſi enim teſtator hæredi mandat conſtrui eccleſiam in loco, quem cum alio communem habet, ſocius eius, quò Eccleſia conſtruatur, vendere cogitur, l. fin. §. 1. & ibi not. Bald. C. de com. ſent. man. & not. Iaſ. in l. nec emere, C. de iur. delib. & in l. 2. num. 4. ff. ſol. matr. vbi alios quam plures idem ſentientes, refert, qui pro neceſſaria monaſterij conſtructione vicinos cogi ad vendenda loca vicina, aſſerunt. Idq; iure meritò; ſi enim Ethnici religionis ſuæ fauore cogebant, quem inuitum aliquando ius ſuum alienare, l. ſi quis ſepulcrum, ff. de relig. & ſumpt. fun. quanto magis religionis Chriſtianæ cauſa id fieri poſſe, dicendum eſt? arg. auth. multomagis, Cod. de ſacroſ. Eccl. Quare ceſſat hîc ratio Scayni in poſtremò argumento poſita.

Secundò negatur etiam, in pręiudicium Status Veneti Eccleſiam conſtrui, vt & ſupra probaui; nam, ex quo cauſa cognita id ab Epiſcopo fit, licentiam ædificandi nō dabit, ſi ei per ædificationem præiuditium fieri Statui Veneto probabitur.

3 Poſtremò, ſupra probatum eſt, argumentum à priuata perſona ad publicam nō valere, eo quia per ipſam Iuriſdictio Eccl. non violatur, quod fit à publica perſona, vt in caſu noſtro. Non igitur Decretum hoc faciēdum erat, nec factum valet. Sed iam ad aliam rationem transeamus.

S V M M A.

1 *Quinta Ratio, quæ eſt ſecunda Othelij quanam ſit.*
2 *Id malum eſt, cuius contrarium eſt bonum.*
3 *Licentia ædificandi Eccleſias ad Epiſcopum pertinet, necnon cura earum in omnibus.*

Quin-

IV.

1 §. QVI A N vò proposita conclusio ab Othelio; † nec non à Scayno in vltimo argumẽto probatur sic. Princeps laicus bonus, ac religiosus est is, ad quem pertinet Ecclesias contritas, atque collapsas restaurare, nouasque ædificare, cap. fin. d. 96.

Ergo statuere potest, ne sine sua licentia ędificentur. Ergo statutum sic factum valet.

Hæc ratio nihil facit; nam contra ipsum potius retorquetur. Nã si boni Principis, ac religiosi est Ecclesias dirutas renouare, ac nouas ędificare. Ergo mali Principis, &
2 non religiosi est prohibere, ne nouę ædificentur; † id .n. malum est, cuius contrarium bonum est; nam quod operatur propositum in proposito operatur oppositum in opposito, l.fin. §. fin.ff.de leg. 3.

Pręterea, quod dicitur in cit. cap. fin. esse boni Principis, ac religiosi Ecclesias dirutas renouare, & nouas ædificare, non intelligitur hoc auctoritatiuè, vt ita dicam, ac licentia ipsius interueniente, sed opibus, & pecunijs, &
3 huiusmodi. † Id quod hinc probatur, quoniam cura Ecclesiarum omnis ad Prælatos Ecclesiæ pertinet, & non ad laicos Principes. Nam ecce, primò, sine licentia Episcopi ędificari non potest Ecclesia, cap. nemo Ecclesiam, & cap. seq. de consecr. d. 1. & in cap. nobis, & ibi Gloss. de Iurepatron. Secundò, ad ipsum pertinet prospicere, antequàm ædificentur, vt habeant, vnde ministri sustententur, & alantur, ac etiam conseruentur ea, quæ ad diuina facienda pertinent, vt dicitur in cit. cap. placuit, 1. q. 2. & in eod. c. nemo Ecclesiam, de consecr. d. 1. Tertiò, ad Episcopum pertinet ipsas consecrare, ac pollutas reconciliare, vt habetur in tot. tit. de consecr. Eccl. vel alt. in antiq. & lib. 6. Quartò, ad Episcopũ pertinet earũ collationes facere, & institutiones, cap. omnes basilicæ, 16. qu. 7. & tot. tit. de præben. & instit. Quintò ad Episcopum

ſcopum pertinet ipſas viſitare, cap. 1. cum alijs ſeq. de cenſ. lib. 6. Poſtremò, ne ſingula perſequar, ad Epiſcopum pertinet operam dare, vt Eccleſiæ collapſæ reficiantur, & reſtaurentur, & ſi aliunde non habetur, vnde id fiat, parochiani ad id cogi ab eo poſſunt, alioquin aliò transferri debent, ſi parochiani inſtaurare nequeant; ita nouiſſimè Trid. Synod. ſanciuit, ſeſſ. 21. cap. 7. verſ. Parochiales, de reform. & facit tit. De Eccl. ædif. vel repar. Non igitur Principes laici de eccleſijs ædificandis, vel non ædificandis, propria auctoritate quicquam facere poſſunt, eſto pecunias ſubminiſtrare, & alia ad eccleſias ædificandas pertinentia prębere poſſint, ac debeant, cùm, vt erga Deum ſe gratos oſtendant, qui eos tanto honore dignos facit, tum, vt ipſorum exemplo alij ad huiuſmodi opera pia agenda excitentur. Hoc igitur officium eſt boni, ac religioſi Principis, non autem Eccleſiarum ędificationem impedire; & hoc voluit, ac ſignificauit Marcellus Papa in cit. cap. fin. d.96.

Addo, decreto hoc Senatus Veneti prohiberi, ne Eccleſiæ ædificentur, non autem, vt Princeps tantùm, ſeu Senatus tantùm eas ædificet, quod nec facere potuit, ex quò, vt proximè dixi, Eccleſiarum cura tota ad prælatos Eccleſię, & in primis ad Pontificem Max. pertinet. Ratio igitur hæc nulla eſt.

Ex his tollitur ſexta Ratio, qua dicebatur, Principes ſeculares, ſeu in dignitate conſtitutos non minus ad tutelam eccleſiarum eſſe, quam ad pupillorum, ac viduarum protectionem, cap. adminiſtratores 23. q. 5. nam decretum hoc non tuetur Eccleſias, ſed, ne ædificentur, prohibet, atq; impedit; qua ratione autem, qui non vult aliquid eſſe, hoc ipſe tuetur? non entis enim nullæ ſunt qualitates, l. eius, qui in prouincia, ff. ſi cert. pet. & c. fin. de Eccl. ædif. Hinc, inducta ad diminutionem non afferunt augumentum, l. legata inutiliter, ff. de adim. leg. Verum tamen eſt, obligatos eſſe Principes laicos ad Eccle-

ſiam

siam tuendam, sed non debere ipsi dominari. Sed iam ad aliam rationem transeamus.

S V M M A.

1 Septima Ratio Salodiensis quaenam sit.

2 Licentia aedificandi monasteria vbi conceditur, inspicitur, an habeant vnde viuant.

3 In licentia danda aedificandi inspicitur, an alijs obsit aedificium.

V.

1 §. POSTREMÒ, Salodiensis Tertius Iureconsultus † sic argumentatur, & probat propositum decretum.

Decretum hoc quo prohibetur, ne monasteria de nouo aedificentur, nec Ecclesię, est decretum, quo consulitur alijs monasterijs iam erectis, ne scilicet alimẽta eis desint ob aliorum aedificationem, & multitudinem.

Ergo decretum hoc legitimum est, & valet.

2 Haec ratio etiam nihil facit. † Primò, quoniam inter alias causas, ob quas licentia praelatorum requiritur, dum Ecclesiae, ac monasteria aedificantur, haec est, vt videant, ac prospiciant, vnde Ecclesiae ministri, ac Regulares sustentari possint; non enim permitti eorum aedificatio debet, vbi non habent, vnde sustententur, cap. placuit 1. q. 2. & cap. nemo Ecclesiam, de cons. dist. 1. & cap. de monachis, de pręben. & ita quoq; Trid. Synod. sentit sess. 25. de regul. cap. 3. vers. In praedictis autem monasterijs, & facit Extrauag. Sedes, de off. deleg. & huc pertinent, quę dixit Abb. ac DD. in cap. cum accessissent, de constit. vbi de suppressione canonicatuum agunt.

3 Minus etiam ab Ecclesia permittuntur, † vbi in alterius praeiudicium aedificarentur, cap. ad audientiam, de Eccl. aedifican. & c. Ecclesiae antiquitus, & c. quicunq; 16.

Poſtremò proſpicere, ne ędificatio huiuſmodi locorum piorum, & Eccleſiarum alteri præiudicium faciat, non pertinet ad Principem laicum, vt probaui ſupra in Reſponſione ad quartum argumentum, ergo de hoc decretum fieri non debuit à Principe laico, & factum non valet. Ex his omnibus igitur manifeſtò conſtat, rationes à prædictis DD. allatas nullas eſſe, & Decretum hoc ſecundum, vti contra libertatem Eccl. factum, non valere. Sed & de hoc Decreto ſatis, iam ad refellendas rationes eorundem trãſeamus, quibus tertium Decretum iuſtum eſſe, probare nituntur.

De Tertio Capite, quo Senatus Venetus aſſerit, poteſtatem ſe habere coercendi Eccleſ. perſonas in quibuſdam delictis. *Cap. VII.*

SVMMA.

1 Argumentum horum Iuriſconſultorum quodnam ſit.

2 Princeps Venetus poteſtatem non habet neque à Deo, neque ab homine coercendi Eccleſiaſticas perſonas tales.

SVCCEDIT nunc tertium caput, quo aſſeritur per hos Iureconſultos, Principem Reipubl. Venetorum habere facultatem coercendi Eccl. perſonas in quibuſdam
1 grauibus delictis; † hac autem ratione illud probare nituntur.

Princeps Senatus Veneti priuilegium habet à Pontifice (quod & pręſcriptum eſt) coercendi Eccl. perſonas in quibuſdam grauibus delictis.

Ergo legimè coercere eas poteſt.

Hæc eſt potiſſima ratio Iuriſconſultorum horum trium (omiſſis eorundem longioribus circuitionibus, &

amba-

ambagibus, quæ nihil ad rem pertinent) qua vellent probare, Principem Reipublicæ Venetorum potestatē hanc coercendi Ecclesiast. personas, habere. Verùm, vt vna responsione cùm argumentum hoc, tùm alia ipsorum refellam, argumēto sumpto à partium enumeratione, quod validissimum est, arg. tot. tit. de oblig. quæ ex contract. vel quas, in Instit. & tot. tit. de oblig. quę ex delict. vel quas eod. Principem Reipubl. Venetorum non habere hanc potestatem, sic probo.

2 Si † Princeps Reipubl. Venetorum posset Eccl. personas coercere, hanc potestatem haberet vel à Deo, vel ab homine, idest vel iure diuino, vel humano.

Non à Deo ipsam habet, à quo est omnis potestas, vt dixit Apost. ad Romanos ca. 13. & repertur in Extrauag. Vnam sanctam, de maior. & obed. nam, quæ à Deo sunt ordinata sunt, vt dicitur in ead. Extrauag. at si Princeps Reipubl. Venetorum posset coercere Eccl. personas, minus dignus præesset digniori (Ecclesiasticæ enim personę vti res spirituales, secularibus digniores sunt, vt dicitur in cit. Extrauag. vers. Spiritualia autem, & dignitate, & nobilitate. Hinc potestas Eccl. seculari prçest sicut Sol ipsi Lunæ, & aurum ipsi plumbo, & anima corpori, vt inquit Romanus Pont. in cap. solitæ, de maior. & obed.) Hoc autem absurdum, & inordinatum est; repugnat .n. & rationi naturali, vt probaui in Tract. meo de Iust. & Valid. Mon. cap. 3. §. 1. paulo post principium; ergo non est dicendum, l. nam absurdum, ff. de bon. libert. Addo, si potestatem hanc haberet à Deo, & in leuioribus delictis coercere Eccl. personas posset, & etiam in ciuilibus, arg. auth. multomagis, C. de sacros. Eccl. quod tamen hi Iure-

Prima ſedes à nemine iudicatur, vt in c.nemo, cũ trib.ſeq. 9.qu.3. & faciunt, quę dixit Syluest. in verb.Papa, qu.4. Idq; meritò; nam laicis neceſſitas obſequendi Eccl. perſonis manet, & non auctoritas imperandi, cap.cùm laicis, de reb.Eccl.non alien.& cap.laicis, & cap.non placuit, 15. q.vlt.cum ſimil.cit.à Gloſſ.in eod.cap.cũm laicis. Poſtremò probatum eſt ſupra totum contrarium, ſcilicet, de iure diuino eſſe exemptionem hanc, ideſt conſtitutam diuinitus, & poteſtate ſupernaturaliter tradita, ergo, & cœt.

Non etiam ab homine, ſeu à iure humano poteſtatem hanc habet Reſpubl. Venetorum; nam, ſi hoc eſſet, poteſtatem hanc haberet vel iure gentium, vel ciuili, vel Pontificio. Non iure gentium; non .n. per ipſum libertas Eccl. oppugnatur, ſed potius ei quòad acquiſitionem proſpicitur; nam Eccleſia, ipſo indulgente, quæcunq; ei tradita ab habente poteſtatem tranſferendi dominium, vel cauſam, poteſt acquirere, §.per traditionem, in Inſtit. De rer. diuiſ. quò etiam iure non cogitur alienare, l. nec emere, C. de iur. delib. & l. inuitum, & l. dudum, C. de contrah. empt. Quare hoc iure habet locum diſpoſitio, l.in re mandata, C.mand.illud etiam ius fauet religioni, l. veluti, ff.de iuſt. & iur. Non habet igitur Reſpubl. poteſtatem hanc iure gentium.

Non etiam iure ciuili, Tùmquòd perſonæ Eccleſ. res ſpirituales ſunt, & ſacræ, vt tradidit S.Thom. 2.2. q.99. art.3. ergo poteſtas laica, quę habet pro obiecto temporalia, & carnalia, vt dicitur in cap. ſolitæ, de maiorit.& obed.& in cap. ſi nos incompetenter, verſ. Sed notandũ eſt, 2.q.7. facultatem hanc concedere non valet. Id quod probaui pluribus etiam in Tract. De Iuſt.& valid. Mon. cap.3.§.1. Tumquòd leges ciuiles contra potius, quantũ in ipſis fuit, poteſtatem hanc ne laici Iudices habere poſſent, ſanxerunt, vt C. de Epiſ.& Cler. Tumquòd nec poſſunt dare hãc facultatem, ex quò de iure diuino ſunt,

vt dixi. Addo, si possent Veneti iure proprio coercere clericos; non esset opus priuilegijs, quæ sepius à Romanis Pontificibus, vt à Sisto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Clem. VII. & Paulo III. petierunt; frustra enim petimus à Principe, quod habemus à lege, l. 1. ff. ad mun.

Non etiam Iure Põtificio communi Senatus Venetus potestatem hanc habet; quandoquidem Romani Pont. ad quos pertinet dubitationes huiusmodi declarare, cap. per venerabilem, vers. Sed quia, qui fil. sint leg. & c. super litteris, de Rescript. & cap. 1. de iur. calum. non modò potestatem hanc laicis non concesserunt, sed contrà potius prohibuerunt. Id quod hinc probatur: nam in quibusdam casibus tantùm, vt Ecclesiasticæ personæ à laicis iudicari possent, permiserunt, vbi scilicet priuilegio clericali priuatæ sunt, vel priuilegio fori tantùm, vt habetur in cap. 2. de pœn. lib. 6. iunct. cap. nouimus, de verb. signif. & apud Trid. Synod. sess. 25. de reform. c. 6. & apud Clar. in Pract. Crim. §. fin. q. 36. vers. Quæro modo quid si clericus: Si ergo solùm permisit Ius Pontificium, vt tantùm, vbi Ecclesiasticæ personæ priuilegio clericali priuatæ essent, coerceri à laicis possent, ergo pro regula contrarium habebimus, arg. l. cùm prætor, ff. de iud. & cap. non ne, de præsumpt. Exceptio enim contrariam regulam cõstituit, vt tradunt DD. in Rubr. ff. de reg. iur. Quod autem regula talis sit, & Ecclesiasticæ personæ non possint à laicis iudicari, id pluribus probaui in eod. Tract. De Iust. & valid. Mon. in c. 3. §. 1. vers. Præterea quòad prædicta, quæ breuitatis gratia hìc omitto, ex quo illinc haberi facilimè possunt. Pontificio igitur iure potestatem hanc non habet Sen. Venetus.

quũtur de ſimplicibus Clericis, vt apertiſsimè habetur in eiſdem, At Eccl. perſonę apud præfatum Senatum in carceribus detentæ, non ſunt tales; nam alter, ſcil. Scipio Saraçenus eſt Canonicus Vicentiæ, alter verò ſcil. Brandolinus Valdemarinus eſt Abbas in dignitate Eccl. conſtitutus, vt dicitur in Monitorio. Canonici autem Eccleſiæ Cathedralis non ſunt ſimplices Clerici, ſed in quadam præeminentia conſtituti. Id, quod hinc probatur, quod Summus Pontifex in cap. ſtatutum, verſ. Sancimus, de reſcript. lib. 6. pares eos facit ijs, qui ſunt in dignitate quò ad cauſas ab Apoſtolica Sede, vel ab eius legato cõmittẽdas, & Trid. Synod. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12. Canonicorum collegium cathedralis Eccleſię Senatum Eccleſiæ appellat; ergo in dignitate quadam poſiti ſunt, arg. tot. tit. ff. de Senat. ergo Clericorum nomine non continentur in odioſis, vt in caſu noſtro, arg. cap. quia periculoſum, de ſent. excommun. lib. 6. atq; ſic dixit in terminis Abb. in Rubr. de vit. & honeſt. Clericor. n. 4. nam Clericorum nomine ait, non comprębendi in materia odioſa, qui ſunt in dignitate, nec Canonicos cathedralis Eccleſiæ. Eccè hìnc appertiſſimè haberi, Canonicos tales Clericorũ nomine in odioſis non contineri, idem ſenſit Abb. in cap. bonæ memoriæ, de poſtul. prælat. & in c. non poteſt, de re iud. eſto igitur priuilegia habeant, in his tamẽ perſonis Eccleſ. quæ in carcerem coniectæ ſunt, ob prædicta, locum habere non poſſunt.

Alia ratione etiam per priuilegia prædicta Veneti iuriſdictionem non habent in perſonas in carcerem coniectas. Non per priuilegium Innocentij Octaui conceſſum ipſis die vlt. Octobris anno 4. Pont. 1482; nam de Clericis tantùm agit, & de omni graui delicto, ſed Ciuitatis Venetiarum, non autem de clericis alterius loci, vt habetur in Proæmio eius, ſecundum quod conceſſio declaratur, ac refertur, arg. l. Titia §. idem reſpondit, & ibi Iaſ. ac DD. ff. de verb. oblig. Etenim conceſſio quaſi reſponſio

quędam secundum petitionem accipitur, §. præterea in Instit. De inutil. stipul. ergo nō perinet ad personas prędictas, quę non sunt de Ciuitate, ac diœcesi Venetiarū. Nō etiam per priuilegium Clem. VII. nam solùm concessit potestatem in Clericos in minoribus constitutos, & non beneficiatos, ergo in has personas nihil possunt. Non deniq; per priuilegium Pauli III. concessum die 28. Octob. 1542. nam & illud restringitur ad Ciuitatem Venetiarū, ergo has personas non compræhendit.

Secundò, dato, & non concesso, Senatum per priuilegia prædicta iurisdictionem in huiusmodi Eccles. personis habuisse, hodie tamen eam non habere, nec ei prodesse, concludo. Nam per Bullam Cænæ Domini (quæ singulis annis in die Iouis Sancto præsentibus etiam Principum Christianorum Nuncijs, necnon Senatus eiusdē publicatur) illa clausula, nón obstantibus, & cæt. derogatur omnibus priuilegijs, & huic in primis, quod contra libertatem eccles. est, & ita habetur in re nostra de libertate Eccles. in c. clericis, in fin. de immunit. eccl. lib. 6. vbi Gloss. fin. per illam clausulam, Non obstantibus, colligit, Papam posse tollere, & moderari priuilegia per se data, & ideircò non habere locum in ipso, cap. decet concessum, de regul. iur. eod. lib. Idem dixit Gloss. in cap. 1. in verb. suffragari, de excess. prælat. Idem dixit Gloss. fin. in cit. cap. decet, & sensit hoc idem Gloss. in c. fin. in verb. Concessis, per eandem clausulam generalem, Non obstātibus, de sent. excom. lib. 6. & ibi Philip. Franc. not. per eam tolli omnia priuilegia concessa, etiam si ipsorū specialis mentio non fiat. Idem dixit Felin. in cap. nonnulli, num. 87. de rescript. quæ sanè clausula, Non obstantibus,

tem potuit Summus Pont. & ob proximè dicta, & allegatas Gloss. & DD. & quod priuilegio hoc iurisdictio conceditur; quo casu, vel non subdito priuilegium concessū sit, reuocari potest, vt dixit Innoc. quem sequitur, ac refert Felin. in cap. nouit num. 19. vers. Et primo de iud. in huiusmodi enim priuilegio semper intelligitur excepta auctoritas superioris; alias sequeretur, quod posset Summus Pont. superioritatem illam sibi tollere, quod dicendum non est, vt dixit Felin. eod. num. 24. (Hinc priuilegium à Rom. Pontif. cuipiam concedi non potest, ne ab ipso censura obligari possit, vt asseruit Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Abb. ac DD. in cap. cum instantia, nu. 6. de cens. & alij, quos retuli, ac secutus sum in Tract. meo de Cens. Tab. 1. cap. 2. §. 12. num. 11.) Animaduertendū est etiam, quòd ex quò multis ab hinc annis nōnulla Senatus Venetus contra libert. Eccl. edidit statuta, iure meritò omni priuilegio priuari debuit, iuxta tradita per Felin. in eod. cap. nouit, num. 26. & facit c. nouerit, de sent. excom. & ibi Gloss. & DD.

Addo, Rempubl. Venetorum in capitulis initis cum Iulio II. solemni iuramento promisisse inter alia, non capere, carcerare, detinere, aut quauis molestia afficere in bonis, vel personis, Clericos, aut Eccl. personas absq; expressa licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius Iudicis eccl. ad quem spectat, quæ licentia hic non probatur.

Postremò etiam dato, & non concesso, Senatum Venetum priuilegium in hoc habere, & reuocatum non esse, concludo tamen, atq; assero, ipsum Ducem, ac Senatū Venetum debuisse eccl. personas in carcerem ab ipsis cōiectas, consignare Nuncio Pont. Max. sicut ab ipso fuit ei præceptum; & quoniam ei non paruerunt; iure excommunicatos fuisse, & statum interdicto subiectum; & hoc ob hanc solidissimam rationem. Nam per priuilegia hæc ipsi facti sunt, aut Iudices ordinarij, aut delegati non. n. iurisdictio alia datur præter ordinariam, & delegatam,

arg. tot. tit. ff. de iurisd. omn. iud. & tit. ff. de off. eius, & extra de off. ord. & delegat.

At à Iudicibus ordinarijs, vel delegatis Sũmus Pont. qui ipsos constituit, & cuius in his Iudices sunt, auocare causas prædictarum personarum potuit: nam, & maiores Iudices, vt Legatos à latere, & Præsides Prouinciarum à se datos reuocat, ergo multò magis hos extraordinarios; & Episcopus etiam suum Vicarium ad arbitrium remouet, vt asseruit Gemin. in cap. 1. num. 10. de off. Vicar. lib. 6. & Abb. in cap. quoniam num. 10. vers. Item Episcopus, & Bero. nu. 100. de off. delegat. Præterea facit, quòd cõcedendo hanc iurisdictionem, non priuauit se potestate quò minus posset Eccl. personas Senatus Veneti coercere, immò maiorem, ac supremam potestatẽ sibi retinuit, etenim nec Principes laici Iudices ordinarios constituentes, priuant se quominus possint quascunq; causas ad se auocare, vt per se patet. Ergo nec ipse Pontifex Max.

A Iudicibus delegatis itidem auocare potest, ac potuit causas huiusmodi personarum; quandoquidem Iudex delegatus proprium nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur, l. 1. §. qui mandatam, & ibi DD. ff. de off. eius, & vel ceptũ iudicium coram ipso delegato sit, remoueri ab ipso delegante potest; l. iudicium soluitur, ff. de iud. & ita DD. tàm iuris pontificij, quam ciuilis, asserunt, vt testatur Paul. de Castr. in cit. l. iudiciũ soluitur.

Ex quò igitur Pont. Max. auocare causas prędictarum personarum potuit, & præcipere, vt easdem personas suo Nuncio consignarent, & sæpius admoniti, vt id facerent, non paruerunt, meritò Dux, & alij, de quibus in Monitorio, ob hanc quoq; causam iustissimè fuerunt excõmu-

Status eorum interdicto subiectus. Hinc apparet, neq; ex hoc tertio Capite Decreta ipsorum iustificari, ac valida esse.

Non igitur præcipuum eorum argumentū valet; quod prçmisi; sed eius contrarium, quod tale est, Censurę latæ in Ducem Venet. ac quosdam ipsorum, eorumq; statum, ob id latæ sunt, quòd legitimè admoniti, non reuocarunt Decreta prædicta, nec consignarunt personas Eccles. in carcerem ab ipsis coniectas, Nuncio Apost. Sedis, prout eis fuit præceptum.

Ergo latæ sunt in contumaces.

Ergo legitimè, ac iustissimè latæ sunt; cuius contrarium prędicti Iur. consulti probare nitebatur.

Sicut igitur sanctius, prudentiusq; fecissent Dux, ac Senatus Reipubl. Venet. si Pontificem Maximum adiuissent, eiusq; iudicium humiliter expectassent; iuxta id, quod mandauit Deus in Deuteron. c. 17. & refertur in c. per venerabilem, vers. Sed quia. Qui fil. sint legit. & sensit Pelagius Papa in c. de liguribus. 23. q. 5. non. n. perturbatio hæc in eorum statu facta esset; non tot scandala orta; non tot peccata commissa fuissent. Ita & hi Iuriscōsulti rectius sibi consuluissent, si à scribendo se abstinuissent; non. n. impietatis nota se contaminassent; nō apud bonos male audissent; non deniq; eorum nomen obscurassent: frequenter namq; legimus, quòd qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant: quia non solùm errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Quæ omnia sub S.R.E. iudicio me dixisse velim.

FINIS.